REPROBATIO LYDII LAPIDIS

SEU

BREVIS REFUTATIO TRACTATUS,

Quem Doct.

D. FRANCISCUS PEREA

Pro defensione Probabilismi edidit Salmanticæ anno 1697.

AUCTORE

P. ADAMO EHRENTREICH SOCIETATIS JESU,

Sacræ Theologiæ Doctore.



ROMÆ, MDCXCIX.

Typis Lucæ Antonii Chracas, propè Curiam INNOCENTIANAM.

Superiorum Facultate.

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiſs. Pat.
Sac.Pal.Apoſt.Mag.

Dominicus B. de Bellis Epiſc.
Melphicten. Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Paulinus Bernardinius Sacri
Palatii Apoſt. Magiſter, Ordinis Prædicatorum.

PRÆFATIO.

CUM ad finem mei, de usu Probabilitatum, Opusculi Impressor pervenisset; oblatus est mihi Tractatus quidam, Lydius Lapis Recentis Antiprobabilissimi inscriptus: qui magnum in Hispania plausum tulisse dicebatur. Cepi avidè legere. Sed quia nihil, quod vel ingenium, vel eruditionem supra mediocritatem commendaret, invenire potui; eò mihi connitendum putavi, ut quam sua benevolentia, non libri merito, nonnulli æstimationem conceperant, eam penitus ex illorum animis evellerem.

Quam ob causam brevi refutatione singulas ex ordine materias aggressus sum; ea, ut spero, efficacia ac soliditate, ut non tantum ad cognoscenda sententiæ oppositæ pericula, sed etiam ad nostræ intelligendam veritatem, & securitatem amplectendam, plurimum lucis ac præsidii sit accessurum.

Illud moneo, me de industria dissimulasse, quòd nostræ sententiæ frequenter

Jansenismum impingat hujus Lapidis Author. Nam in Introductione pag. 1. ait: parti rigidiori (*hoc est, probabiliora requirenti*) aut solos, aut plerumque Jansenistas favere, *& p. 2. disputationis sensu proposito, subjungit:* hoc negant pauci Recentiores, quorum numerum implent Janseniani, & de Jansenismo suspecti, *& sect. 1.* Antiprobabilismus emersit ex quibusdam malæ, & Jansenianæ notæ Lovaniensibus. *Hæc, inquam, de industria dissimulavi. An enim Illustrissima Schola Thomistica, cum suo Angelico Doctore: tot Ecclesiæ, in Gallia præsertim, virtute ac doctrina Eminentissimi Reverendissimique Episcopi: Ipsi denique Summi Pontifices, Probabilismum prohibitionibus suis coercentes, Jansenianum quid sapiant: hoc examinare, non ad privatum disputatorem, sed ad ipsa summa Tribunalia pertinere existimavi. Quorum judicio hoc totum; uti & mea, quæ dicturus sum, obedientissimè, humillimèque submitto.*

NO-

NOTULA, ET INGRESSUS.

Procedo cursim per librum, eo ordine, quo ab Authore dispositus est: ut qui ipsum habent, facilè conferre possint.



SECT. I. num. 4. pro sententia, ut vocat, benigna, sic argumentatur: opinio, quam Authores sapientissimi, quamvis loco, tempore, & institutis separati; nec unus, aut duo, sed omnes apertè, frequenter, perseveranterque tenuerunt, prudentissimè tenenda est: at talis est opinio benigna; ergo tenenda.

Majorem admitto. & minorem, saltèm æquè veram, quàm sit minor DD. Perea, hanc substituo: sed quòd liceat judici sequi minùs probabilem; item Medico in dandis medicinis; & ministro in administratione Sacramentorum, & universim, modò de finibus probabilitatis non exeatur, tenuerunt sapientissimi viri: ergo hoc prudentissimè tenendum est: ergo imprudentissimè ab Ecclesia damnatum est: non enim, quæ prudentissimè tenentur, & tenenda sunt,

videntur prudenter damnari. Hoc non libenter dicet de Ecclesia Perea; ergo videat, quàm periculosè argumentetur.

Unde contra benignam sententiam potiùs sic licebit arguere: quod propositionibus ab Ecclesia damnatis simillimum est, nititurque eodem fundamento, & eisdem periculis exponit, atque similiter bonis moribus præjudicat, & laxitatum januam, quam Summi Pontifices claudere per has prohibitiones voluerunt, perniciosè servat apertam; id tanquam valde suspectum, est fugiendum, & minimè tenendum: sed sententia benigna hoc habet; ergo non est tenenda.

Eodem modo obviari potest confirmationi, quæ num.6. proponitur, quòd Deus in conscientiæ directione permisisset Doctores errare. probaret enim, quòd neque errassent Benignistæ, asserendo judici, medico, ministro, & universim cuilibet probabilitati liberam praxin; adeòque quòd Ecclesia immeritò has praxes damnasset.

Eadem sect. 1. num. 7. dicit, RR. P. Thyrsum vulgasse suum, de usu Opinionis Probabilis, librum, dissentiente Societate universa.

Non video, quomodo hoc defendere pos-

possit Perea. nam RR. P. Thyrsus, edidit librum illum post Congregationem Generalem, qua caput Societatis electus est. in illa autem Congregatione, speciali Decreto declarata est ab universa Societate facultas tenendi sententiam rigidiorem seu temperatam: quomodo ergo dissentiente tota Societate librum hujus doctrinæ edidit? num idem est, Societatem totam aliquid declarare ac permittere, ut fiat; & dissentire, ut fiat?

Deinde vix unquam fuit Societas congregata, ubi opinandi licentiam, non omni modo decreverit, & petierit esse cohibendam: quomodo igitur dissentiente universa Societate editus est à capite Societatis liber, in quo illa licentia, non vi, nec pœnis, aut minis, sed solidè docendo suaviter cœrcetur? Quomodo etiam Societas vult, & præscribit Professori Theologiæ Moralis, ut resolutiones det secundum probabiliora; Si librum hoc ipsum requirentem & docentem invita tulit lucem videre? non facile hæc Perea combinabit.

Eadem sect. num. 9. conatur ad grande absurdum deducere: quia, inquit, tali modo vix ullus erit confessarius, si operans in nullo possit aliis fidere, sed suam solummodo teneatur sequi opinio-

 nem,

nem, quam non possit, nisi re accuratè examinata formare.

In hoc, falsum supponit oppugnans. quia non docet RR. P. Generalis, non posse nos etiam aliis quandoque, & in quibusdam fidere: sed solùm tunc, quando clarè cognoscimus, alios notabiliter viciniores esse errori, quàm veritati; & quando tempus habemus examinandi illorum rationes: tunc enim tenemur illas rationes examinare. nam ad hoc constituti sunt Doctores, & ad hoc operam dederunt studiis Litterati, ac libros habent diversos, ut collatis rationibus possint videre, quid sit agendum, & quid illiteratis consulendum, quomodo dirigendi.

Deinde totum retorquetur. Si enim, quos nos requirimus, impossibile, & nimis onerosum est, ita ut vix ullus sit futurus confessarius, aut Magister, cùm ad rationes examinandas non videatur ætas hominis sufficere: erit hæc ipsa impossibilitas, & onus apud adversarios; qui non possunt asserere, nisi probabilitatem, *comparativam*, hoc est, quam quis cognoscit adesse, non obstantibus contrariis opinionibus. nam hanc probabilitatem cognoscere non potest, nisi perpensis fundamentis illarum opinionum: ergo si illæ aliæ opiniones perpendi à

ne-

nemine, aut vix ab ullo possint, & hoc sit onus nimium; sequitur, quòd in usu opinionis minus probabilis *comparativæ*, sit impossibilitas, vel onus nimium: ergo admittenda erit, quæcunque & quantumvis levis probabilitas: quod est prohibitum. Si ergo requirere probabilitatem comparativam non est impossibile, vel nimium; neque impossibile erit, aut nimium, comparare sibi notitiam, quid sit probabilius: nam hoc, & comparativa probabilitas, eodem negotio, & cognitione acquiruntur. unde si potest haberi in promptu comparativa probabilitas, ut non sit necesse, sæpe ex impetu voluntatis procedi; neque erit necesse hoc fieri ob requisitam probabilitatem majorem.

Sect. 2. num. 12. affert textum S. Antonini, dicentis, ceteris paribus benignam potiùs quàm duram esse faciendam interpretationem circa præcepta: quòd præcepta Ecclesiæ, & Dei non sint ad tollendam omnem spiritualem dulcedinem: qualis certè tollitur, quando nimis scrupulosè, & timidè præcepta interpretantur. & hoc textu, quasi nobis è diametro contrarius esset, gloriatur.

Quasi verò *cetera paria sint*, si quis alteram opinionē ob notabiliter excedentes oppositas rationes non possit prudenter

 judi-

judicare non erroneam? quasi verò nos tam rigidisimus, *ut omnem tollere velimus spiritualem dulcedinem?* quin imò adversarius nimis delicatus est, si ipsi amarum videatur, non permitti ipsi, ut agat, quod prudenter honestum judicare non potest. quasi verò qui vult, non agendum, si prudenter judicari non potest honestum, *is nimis scrupulosè & timidè* præcepta interpretaretur.

Eadem sect. 2. num. 13. ait, nos malè sistere in textu S. Antonini, quo concedit, posse hominem eligere ex opinionibus illam, quam credit probabiliorem: progrediendum enim esse ulterius ad illa verba: *& præcipuè, quando non invenit aliquid, quod eum sufficienter moveat ad hoc, quòd sit illicitum.* Ex quo sic argutatur num. 14. ecce, secundùm S. Antoninum licitè operatur homo, qui eligit eam partem, pro qua non invenit aliquid, quod eum sufficienter moveat ad judicandum, illam esse illicitam: sed per vos, quando apparet utraque pars æquè probabilis, non invenit aliquid movens sufficienter ad judicandum, eam partem esse illicitam; neque id potest prudenter asserere, ut vos ipsi decernitis: ergo tunc potest rectè sequi illam partem juxtà S. Antoninum.

Optimè argumentatur pro nobis adver-

versarius. quod facilè perspiciet, si modò, quod à nobis exigit, etiam ipse observet, & textum S. Antonini integrum accipiat, notando, S. Antoninum concedere electionem, cum hac expressa limitatione: *dummodò ex contrarietate talium opinionum non inducatur ad dubitandum*. quod juxta nos fit, quando rationes utrinque sunt æquales. jam, si potest, adhibeat suum argumentum, & subsumat gloriosè. S. Antoninus concedit electionem, si non inveniatur movens sufficienter ad judicandum, quòd actio sit illicita, *& si non inducatur ad dubitandum*: sed per vos [Antiprobabilistæ] non invenitur movens sufficienter ad judicandum, quod actio sit illicita, *sed tamen inducitur ad dubitandum*: ergo potest rectè sequi illam partem juxta Sanctum Antoninum, *qui requirit, ut non inducatur ad dubitandum*. Vides, argumenti tui quanta sit vis contra nos? quàm aptè conveniat menti S. Antonini? quàm longè dignius tractetur hic textus à RR. P. Generali, qui ex eo sic procedit: juxta S. Antoninum licet eligere opinionem, quando non invenitur movens sufficienter ad judicandum, quòd sit illicitum, & quando non inducitur ad dubitandum: sed hoc solùm fit, quando altera pars eligitur, ut probabi-

 lior,

lior; tunc enim neque dubitatur; cùm formetur ex probabiliori firmum judicium; neque pro opposito est sufficienter movens: cùm minor ratio contra majorem & probabiliorem non sit sufficiens: ergo non licet juxta S. Antoninum eligere opinionem, nisi probabiliorem.

Deinde, si, existentibus paribus rationibus, non datur sufficiens motivum ad judicandum, quòd actio sit illicita, ut nobiscum modò sumit arguens: quomodo nobiscum, aut cum S. Antonino sumet, dari sufficiens movens ad judicandum, quòd actio sit licita? certè fatetur, nos id non sumere: ergo sic ex nostris nos arguit, ut sumat, quæ non sumimus. qui est bellissimus arguendi modus.

Neque ex S. Antonino id sumere potest; donec ostendat, gravissimum hunc Doctorem censuisse, ex rationibus ęqualibus, natura sua inducentibus in prudentem dubitationem, absque ullo dubio prudenter judicari inæqualiter; sive ex judicio rationis, commensurante se naturaliter meritis rationum, tribui uni rationi tantum, quia tantum meretur; alteri tribui minus, quia non minus, sed æquè tantum meretur, utpote æqualis.

Ex se igitur, & ex suo probabilismo,

ra-

rationum merita aut reſpiciente, aut negligente pro ſuo arbitrio, ſumit prudenter & ſecundùm rationem inæqualiter judicari, ubi tantùm adſunt rationes ſuadentes, æqualiter judicandum: vel potiùs intra dubium & æquilibrium ſtandum eſſe. quam prudentiam, contra Dei præcepta adhibitam, Antiprobabiliſtæ coram Deo ſibi non optant. Solis igitur Probabiliſtis, & præcipuè arguenti, quandoquidem ita velit, hæc prærogativa relinquatur; *quòd ipſis ſufficiat ad prudenter judicandum, ſi non adſit ſufficiens motivum ad prudenter judicandũ. & quòd rationes notabiliter probabiliores & majores ad judicandum prudenter, actionem eſſe illicitam, non ſint ſufficientes illis ad hoc prudenter judicandum; non obſtante, quòd hoc evidenter prudentiùs judicetur.*

Eadem ſect. 2. num. 17. poſtquam retulit ex S. Antonino, Albertum Magnum reſpondiſſe, quòd frater ſimplex, vel quilibet homo [intellige ſimplex & rudis] poſſit ſequi quancunque opinionem voluerit: dummodo alicujus Doctoris magni opinionem ſequatur: ſubjungit arguens, nihil dici potuiſſe magis contrarium Antiprobabiliſtis, juxta quos nemo poteſt ſequi opinionem Doctoris, etiam magni, quam voluerit; ſed ſo-

solùm potest sequi suam opinionem, cui ipse ut probabiliori assentitur ex propositis motivis; inde etsi dentur opiniones valde fundatæ & receptæ magnorum Doctorum, clamant, non posse hominem sequi, quam voluerit.

Sed, quæso, quomodo Antiprobabilistæ nemini, etiam simplici, qui rationes dijudicare non potest, permittunt sequi sententiam magni Doctoris: qui hoc expresse negant, tunc fieri posse, quando post rationes utrinque accuratè pensatas, inveniuntur rationes magni illius Doctoris notabiliter minores? à quibus accuratè pensabuntur, & invenientur cum illo excessu discriminis, ac insufficientiæ? à simplicibus? clarum, quòd non. ergo clarum, quòd authoritas allegata non ad rem, & ex falsissimo supposito; quasi nos prudentiam Doctorum, simplicibus, & rusticis, non autem solis doctis examinandam relinqueremus, & vellemus, cæcos vel sine ducibus ire, vel ducum duces esse. Eruditos verò debere examinare sententias, & non posse sequi Doctorem, quem clarè viderint probabilius falli, aut de cujus doctrinæ veritate meritò in dubium inducantur, non tantùm non est contra S. Antoninum; ut qui in textu num. 13. ab adversario adducto, ad licen-

cen-

centiam ſequendi expreſsè requirat, ne aliquis in dubium opinionis, quam ſequi vult, inducatur: quod utique fit, ſi pro oppoſito clarè deprehendat rationes firmiores: ſed neque eſt contra Albertum, nec contra Hoſtienſem, nec Magiſtrum ſententiarum. & ſi hi reclamarent in hoc caſu, reclamaret contra illos S. Thomas, expreſsè negans, poſſe inter Doctorum ſententias probabiles quamcunque pro libitu eligi; ut ipſe arguens allegat num. 16. cujus quidem ſancti clamorem, acclamante ſimul ipſo lumine rationis, præ aliorum clamore ſic audimus, & ad alia omnino ſurdi ſimus.

Eadem ſect. 2. num. 18. ex eodem S. Ant. affert, inter opiniones præſtandam eſſe, quæ eſt humanior & æquior, hoc eſt, benignior, & congruens humanitati & æquitati. quid tum? etiam nos hoc dicimus cum S. Antonino, ſub illo ab hoc Sancto addito, *ceteris paribus*, hoc eſt, concurrentibus, neceſſariò requiſitis: inter quæ eſt, ut opinio prudenter poſſit judicari vera, non dubitetur circa ipſam &c. quæ minimè habentur, ubi vel rationes talis opinionis clarè apparent minores, vel nulla ratione majores oppoſitis.

Item affert ex eodem Sancto, & in api-

folùm poteſt ſequi ſuam opinionem, cui ipſe ut probabiliori aſſentitur ex propoſitis motivis; inde etſi dentur opiniones valde fundatæ & receptæ magnorum Doctorum, clamant, non poſſe hominem ſequi, quam voluerit.

Sed, quæſo, quomodo Antiprobabiliſtæ nemini, etiam ſimplici, qui rationes dijudicare non poteſt, permittunt ſequi ſententiam magni Doctoris: qui hoc expreſsè negant, tunc fieri poſſe, quando poſt rationes utrinque accuratè penſatas, inveniuntur rationes magni illius Doctoris notabiliter minores? à quibus accuratè penſabuntur, & invenientur cum illo exceſſu diſcriminis, ac inſufficientiæ? à ſimplicibus? clarum, quòd non. ergo clarum, quòd authoritas allegata non ad rem, & ex falſiſſimo ſuppoſito; quaſi nos prudentiam Doctorum, ſimplicibus, & ruſticis, non autem ſolis doctis examinandam relinqueremus, & vellemus, cæcos vel ſine ducibus ire, vel ducum duces eſſe. Eruditos verò debere examinare ſententias, & non poſſe ſequi Doctorem, quem clarè viderint probabilius falli, aut de cujus doctrinæ veritate meritò in dubium inducantur, non tantùm non eſt contra S. Antoninum; ut qui in textu num. 13. ab adverſario adducto, ad licen-

cen-

centiam ſequendi expreſsè requirat, ne aliquis in dubium opinionis, quam ſequi vult, inducatur: quod utique fit, ſi pro oppoſito clarè deprehendat rationes firmiores: ſed neque eſt contra Albertum, nec contra Hoſtienſem, nec Magiſtrum ſententiarum. & ſi hi reclamarent in hoc caſu, reclamaret contra illos S. Thomas, expreſsè negans, poſſe inter Doctorum ſententias probabiles quamcunque pro libitu eligi; ut ipſe arguens allegat num. 16. cujus quidem ſancti clamorem, acclamante ſimul ipſo lumine rationis, præ aliorum clamore ſic audimus, & ad alia omnino ſurdi ſimus.

Eadem ſect. 2. num. 18. ex eodem S. Ant. affert, inter opiniones præſtandam eſſe, quæ eſt humanior & æquior, hoc eſt, benignior, & congruens humanitati & æquitati. quid tum? etiam nos hoc dicimus cum S. Antonino, ſub illo ab hoc Sancto addito, *ceteris paribus*, hoc eſt, concurrentibus, neceſſariò requiſitis: inter quæ eſt, ut opinio prudenter poſſit judicari vera, non dubitetur circa ipſam &c. quæ minimè habentur, ubi vel rationes talis opinionis clarè apparent minores, vel nulla ratione majores oppoſitis.

Item affert ex eodem Sancto, & in

api-

apicibus juris, ubi dubitant ſapientes, dari ignorantiam excuſabilem. Neque nos requirimus, ſcrupuloſè omne dubium ſpeculativum eſſe circa quaſcunq; poſſibiles altercationes amoliendum: ſed ſolidè rem conſiderandam, & proportionaliter ad hanc conſiderationem operandum: reliquas autem minutias, & inanes indagines otioſis diſputantibus remittendas. aliud igitur eſt, requirere diligentiam ordinariam, & moralem; aliud ſummam, & moraliter impoſſibilem. priorem requirimus: ad poſteriorem nos refert adverſarius; apud quem ſtatim ſumma requirit, qui non omnem negligentiam permittit.

Eadem ſect.2. num.19.& 20. ait etiam apud antiquiſſimos, & Juriſtas receptiſſimum fuiſſe, ſententias benigniores præferendas. Verum eſt, cum hoc addito, *ſi potuerunt prudenter judicari veræ*. Si autem hoc non, negamus, & ſemper negabimus, apud prudentes hanc viguiſſe conſuetudinem, ut eligerent, quod non poterant prudenter judicare bonum, juſtum, laudabile &c.

Sect.3. num. 21. exponit ſententiam Probabiliſtarum in hunc modum: ſententia benigna docet, quòd concurrentibus duabus opinionibus circa aliquod opus, quarum una dicit illud eſſe licitum,

tum, altera verò illicitum, inſpiciendum eſt à viro docto, & conſulto, an utraque habeat gravia fundamenta rationis, graveſque pro ſe Authores: quod ſi inveniat eſſe in his æquales, poſſe ipſum conſulere, vel etiam ſequi opinionem de licito, & depellere omne dubium, timoremve prudentem, ita ut formet judicium moraliter certum de eo, quòd ſic operans & conſulens, non peccet formaliter, quidquid ſit de veritate talis opinionis à parte rei. quod quidem judicium moraliter certum, non poteſt colligere ex principiis directis, verſantibus circa ipſam veritatem rei, & licentiam contractus v. g. ſecundùm ſe; eò quòd hæc principia ſint incerta: ſed debet colligere judicium iſtud moraliter certum, ex principiis reflexis, & extrinſecis; quæ nimirum ita circumſtant contractum hic & nunc, ut hominem, qui init contractum, reddant irreprehenſibilem, licèt fortaſſis contractus ſecundùm ſe, & in rei veritate illicitus & reprehenſibilis ſit. talia autem principia ſunt: adhibita conveniens diligentia, poſt quam non fuit inventum aliquid ſufficienter movens ad judicandum, contractum talem eſſe illicitum: item authoritas Doctorum, qui dicunt, in tali incertitudine hominem irreprehenſi-

hensi-

henſibiliter operari ; eò quòd diligentia illa excuſet errorem , ſi quis fortè re ipſa committatur in tali contractu ; & adſtruat ignorantiam invincibilem , propter quam nemo puniri , aut reprehendi poſſit . Unde ex his principiis extrinſecis ſic formabit ſibi judicium moraliter certum , quòd formaliter non peccet , ſivè quòd ob talem contractum irreprehenſibilis ſit : Qui poſt convenientem diligentiam non invenit aliquid , ſufficienter ſe movens , ad judicandum, talem contractum ſibi eſſe illicitum , non eſt propter talem contractum initum reprehenſibilis , & judicio Doctorum , & ex ipſa ratione : nemo enim reprehenditur ex eo , quòd faciat aliquid re ipſa reprehenſibile , ſi poſt convenientem diligentiam non viderit eſſe reprehenſibile : ſed ego hic & nunc poſt convenientem diligentiam non inveni aliquid ſufficienter movens ad judicandum , contractum mihi eſſe illicitum ; eò quòd æquè magnæ ſint rationes pro licentia : ergo faciens hic & nunc [in circumſtantia talis diligentiæ, & abſentia motivi ſufficienter ſuadentis inhoneſtatem , aut oſtendentis prohibitionem] hunc contractum , non pecco formaliter , ſive non ſum reprehenſibilis . ita ferè Perea , hanc ipſam doctrinam

nam num. 22. extendens ad casum, ubi inveniuntur motiva pro una parte minora, seù minùs probabilia, & pro altera majora, sive magis probabilia: eò quòd magis & minus non varient speciem: & major probabilitas, cùm minorem probabilitatem non enervet, penitusque levem constituat, non sit sufficiens fundamentum, ex quo aliquis judicet, contractum, ob rationes probabiliores, esse illicitum.

Contra hanc doctrinam plura occurrunt. Primò dicit, quòd debeant examinari opiniones Doctorum, ut videatur, an rationes utrinque afferantur graves, & an ipsi etiam Doctores sint gravis authoritatis: & quia doctrinam hanc extendit ad minùs probabile, respectu magis probabilis, examinandum erit, an in comparatione majorum rationum, minores rationes maneant adhuc verè graves, vel potiùs reddantur leves. & tamen num. 9. dicit contra nos, examen istud esse moraliter impossibile, & vix ullum tali modo fore confessarium, aut Magistrum, futurumque, ut plurimi committantur errores, & casus morales resolvantur ex impetu voluntatis, non verò ex prævalenti ratione. Valde dedecet Doctorem, ea pro sua doctrina requirere, quæ aliis tanquam absur-

absurda, impossibilia, & noxia objicit.

Secundò dicit, quòd inventa æqualitate rationum [vel etiam minore probabilitate contra majorem; cùm doctrinam etiam ad hunc casum extendat] possit quis consulere, vel etiam sequi opinionem de licito, & *depellere omne dubium, timoremve prudentem*. Absit hoc à sapientibus, ut illi non dubitent, aut timeant, ubi prudenter dubitandum, aut timendum est: *prudens timor*, bonus & laudabilis est; non igitur depellendus, sed fovendus est: sapiens enim metuit, stultus verò confidit, & transilit.

Tertiò dicit, quòd ex hac prudentis timoris depulsione formetur judicium moraliter certum, quòd sic operans non peccet formaliter, quidquid sit de veritate talis opinionis à parte rei. Præclarus fructus depulsi prudentis timoris, & prudentis dubii! ut non sit cura veritatis: ad quam tamen ante omnia respiciendum erat; cùm propter hanc diligentia adhibeatur. Præclara etiam diligentia inveniendæ veritatis; cùm illam prope inveneris, non curare de illa, & studiosè te ab ea parte avertere, in qua magis esse apparet, nempe in parte notabiliter probabiliore: ne scilicet exponas te valde vicino periculo inveniendi veritatem, & incidendi in illam! ò Pe-

ò Perea, si cui suaderem, ut ubi majora veritatis vestigia videret, inde recederet, nunquid suaderem, veritatem magis fugere & declinare, quàm indagare? tua igitur diligentia, quæ majoribus veritatis indiciis tergum vertit, vitandæ potiùs quàm inveniendæ veritatis diligentia est: non igitur ex illa, potes tibi formare judicium moraliter certum, quòd sis irreprehensibilis.

Sed audiamus fundamentum, quare hæc diligentia [sive illam vitandæ, sive inveniendæ veritatis dicamus] irreprehensibilem præstet? itaque.

Quartò dicit, hanc diligentiam excusare, quia post illam non invenit aliquid, nec ipse, nec viri docti, sufficienter movens ad judicandum, hoc esse illicitum. Quàm manifesta contradictio! dixisti, quòd quando dantur duæ opiniones circa aliquod opus, quarum una asserit illud esse illicitum, altera verò licitum, possit operans, si inveniat rationes esse æquales, sequi opinionem de licito. quomodo judicarunt docti, hoc vel illud esse illicitum, si non invenerunt rationem, ad hoc judicandum, sufficienter moventem ipsos? quod si ratio ipsis sufficiens, tibi non sufficiat: ecce quàm incidas in id, quod nobis objicis, nolle nos prudentum judicio ac-

acquiescere; sed examinare illorum dicta, & ubi apparuerint insufficientia, & veritati minus vicina, relinquere. tu examinas, & quidem, ut ais, diligenter, & non invenis sufficienter moventes, & ideo relinquis, & certus es, te bene facere: nos autem hæc eadem facientes, superbi sumus, & illud monitum negligimus, *ne innitaris prudentiæ tuæ!*

Rursus [quia idem doces de opinione magis probabilia] quomodo non invenis sufficienter movens ad judicandum, hoc esse illicitum; si post accuratam tuam diligentiam invenias, rationes adstruentes illicitum, esse notabiliter majores? nunquid ratio notabiliter major sufficere potest ad affirmandum suum objectum, si ratio notabiliter minor sufficiat ad affirmandum suum? nunquid quod omnes docti asserunt prudenter judicari, hoc etiam tibi ad judicandum sufficere possit? atqui omnes docti asserunt, secundùm rationes probabiliores prudentiùs judicari, & quod illæ dissuadent, prudentiùs omitti, quamvis non velint, dari obligationem ad hanc majorem prudentiam: ergo Domine Perea, si non nimis innitereris tuæ prudentiæ, invenires post tuum examen aliquid, saltèm ex parte opinionis probabilioris, sufficienter movens, hoc vel illud

lud esse illicitum: ergo secundùm S. Antoninum, non potes sequi opinionē oppositam minùs probabilem: ergo vides, quàm malè ipsum pro te adducas, & quàm malè nos arguas, quòd ipsum pro nobis adducamus.

Præterea. vel illis viris doctis, qui asserunt, aliquid esse illicitum, nihilominus licitum est, illud facere, vel non? si non: dic rationem, cur viris doctis non liceat, quod tibi licet: & cur non & ipsi, quibus aliqua cura veritatis est, possint non obstante sua opinione speculatiua, aliorum se opinioni in praxi conformare; cùm hoc tibi liceat, qui non curas de veritate, qui certus es, te non peccare formaliter, *quidquid sit de veritate à parte rei*. & quomodo Jesuitæ, si quod docent, esse cuivis licitum relicta opinionc propria sequi alienam, ipsi non practicent, nec liceat ipsis practicare: quomodo, inquam, non sunt ficti & simulatores, docentes, conscientias aliter dirigendas esse, quàm ipsi dirigant, & dirigere bona conscientia possint? à qua simulatione, utpote absurdissima num. 7. ipsos vendicas, arguens, vel tuam sententiam esse veram, vel omnes labores Societatis hactenus fuisse phantasticos, perniciosos, & fictos, atque ad fraudem compositos?

Quòd si

Quòd si viris doctis, qui censent, aliquid esse illicitum, nihilominus liceat illud facere: ergo destruis auctoritatem S. Antonini, quam ais maximè & apertè pro te esse; & indecenter calumniaris num. 14. illum à RR. P. Thyrso sine ingenuitate & fide truncato contextu pro se, ac opposita sententia afferri. destruis, inquam, auctoritatem S. Antonini; quia hic S. D. ait, licitum esse sequi alteram opinionem de licentia, *si non invenerit, aliquid sufficienter movens ad judicandum, esse illicitum*: ergo secundùm S. Anton. non licebit sequi opinionem oppositam, his viris, quia illi invenerunt aliquid sufficienter ipsos movens ad judicandum, esse illicitum: aut certè imprudenter judicarunt, esse illicitum, si non sufficienter moti judicarunt. vides ergo, vel viros doctos à te dici imprudentes; vel S. Antoninum tibi esse contrarium, & nobis summè amicum ac consentientem; vel tibi plus licere, quàm prudentibus: imò te tibi, & omnibus aliis concedere, quod prudentibus concedere non possis; nempe ut ipsi, contra suam opinionem, operentur secundùm opinionem aliorum æquè, vel minus, verè tamen probabilem.

Fundamentum tuum breviter distinguo.

guo. Si non invenitur, aliquid esse illicitum, teneri potest pro licito, nisi tanta, vel etiam major sit ratio prudenter timendi, ne sit contra legem Dei, quanta est fiducia, quòd sit juxta legem, conc. Si prudenter æquè, vel magis timeatur in tali actione transgressio legis re ipsa, & secundùm se, nego. cùm enim homo teneatur evitare transgressionem materialem, quantum potest moraliter, non debet, nec potest, illam non curare, cùm videt esse omnino vicinam, & prope moraliter certam. aliàs voluntas laudabiliter posset habere hunc modum tendendi: *quotiescumque intellectus, cujus ductum ego, tanquam potentia cæca, debeo sequi, dubitat, an actio, de qua ipsum consulo, sit honesta, & mihi dicit, esse magnum periculum, imò sibi videri notabiliter majus periculum inhonestatis realis in electione talis actionis: tunc ego laudabiliter talem actionem eligo, & secura vituperationis, periculum realis erroris ita ex vicino propositum amplector*: atqui voluntas non potest laudabiliter habere hunc modum tendendi; quia sic vel non daretur obligatio vitandi, & cavendi *periculum*, etiam vicinum, transgressionis realis, sed tantùm *certitudinem* hujus transgressionis: vel laudabile foret, non curare obligationem cavendi tale pericu-

 lum,

lum, & eo neglecto ex voluntaria audacia sibi fingere securitatem.

Atque hoc ipsum applicari potest ad principia extrinseca. Si enim viri docti, v.g. Probabilistæ, dicant, licitum esse sequi minùs, vel æquè probabilem; tunc quoad sensum & rem ipsam sic dicunt: *est quidem magnum, imò notabiliter majus periculum transgressionis realis in electione talis actionis, nihilominus hæc actio, & hoc periculum transgressionis realis laudabiliter eligitur, & laudabiliter suadetur à proprio intellectu, voluntati sibi suæque directioni commissæ.* atqui hoc est absurdum dictamen, & principium minimè audiendum: dicit enim clarissimè, non esse obligationem cavendi periculum vicinum realis inhonestatis; aut saltèm non esse curandam talem obligationem, & laudabiliter non curari: quod est à ratione extraneum, & contra modum tendendi proprii intellectus, qui viso periculo non dicit voluntati: est magnum periculum, habes, meritò quod metuas, attamen non cura. sed potiùs dicit sic: est magnum periculum, cave, & quia unum eligendum est, oppositum elige, in quo parum admodum & ferè nihil apparet periculi materialis; ut eligendo periculum minus, ostendas, te minimè *amasse* periculum, sed aliquid ejus

ejus ſola neceſſitate elegiſſe; quod non faciet, ut *pereas* in tali periculo, vel ejus electione. patet ergo, per Probabiliſtarum principium non dirigi, ſed præcipitari voluntatem.

Sect.3. num.23. dicit, contra opinionem benignam inſurrexiſſe Recentiores, pleroſque aut Janſeniſtas, aut de Janſeniſmo ſuſpectiſſimos: qui docuerunt, quòd opinio etiam probabiliſſima non excuſet à peccato: qui error nuper damnatus fuit. Quid hoc ad rem, dum diſputat contra RR.P.Thyrſum, qui pariter & nimio illi rigori, & nimiæ laxitati Probabiliſticæ infenſiſſimus eſt. Si Perea per damnatum extremum rigoris, exoſam vult facere ſententiam temperatam, reddemus & nos exoſum probabiliſmum per damnatam à Pontificibus nimiam laxitatem.

Sect. 3. num.30. ait, quòd Elizalde, ſive per Anagramma Celladei, fateatur, ſe olim fuiſſe Probabiliſtam, & ſententiæ communi maximè addictum. deinde verò mutaſſe ſententiam, & exiſtimaſſe dari obligationem ſequendi probabiliora. tandem verò cognoviſſe, nec ſufficere hanc regulam de ſequendis probabilioribus: atque ſic ſiſtendum eſſe in ſola veritate; ita ut ſola opinio vera ſit recta morum regula. Videamus ex

ipſo Elizalde, an à ſententia Probabilioriſtarum receſſerit. Parte 1. lib. 1. quæſt. 1. §. 4. poſtquam ſecundo loco de opinione obligante ad ſequenda probabiliora dixit, illius numerum in dies ita creviſſe, ut inter communes jam opiniones cenſeri jure debeat: ſic ſubjungit: laudo, & accipio, non, ut quidam oſcitanter judicarunt, improbo Auctores ſecundæ opinionis, neque adverſus illos, ſed magis præter illos, aliquid videor adducere. Eò enim ipſi toti incubuerunt, ut edocerent, opiniones minùs, aut æquè probabiles contra legem, regulam morum non eſſe; *ſed quoties opinio adeſt, vel æquè probabilis, vel probabilior pro lege, nos obligari omnino ad legem. in quam ego univerſum doctrinam non ſolùm non pugno, ſed eam toto opere, ſingulis ejus quæſtionibus, & ubique ſtatuo, & tanquam in re mihi clariſſima efficacius etiam fortè ago, quàm vellent Adverſarii.* & paulò infrà: *quòd ſi nihilominus, me illis adverſari, arbitraberis, hoc gratiæ peto, ut non te, qui utriſque es contrarius, ſed ipſos illos doctrinæ ſuæ ſatis intelligentes judices habeam: expertus enim loquor, & me, & illos improbari magis à quibuſdam, quàm conſiderari*. ita Elizalde. manifeſtè conteſtans, ſe totum eſſe ex parte, probabiliora requirentium. qua igitur ingenui-

genuitate [ut ſuas illi querelas, quas calumnioſè contra RR. P. Thyrſum, aliòſque noſtræ ſententiæ Patronos, piperis loco adſpergit, regeram] qua fide Perea dicit, quòd Elizalde à noſtra opinione receſſerit?

Sect.3. num.31. de Elizalde ſic dicit: nihilominus aſſignat quoddam probabile, quod appellat reale poſitivum, & hoc dicit eſſe rectam morum regulam. At quodnam eſt probabile hoc? an pars tutior? an pars mihi, vel aliis probabilior, etſi forte falſa ſit? *negat hoc Celladeus, expreſsè docens, nullam opinionem re ipſa falſam, eſſe probabilem.*

Sed quæſo te, D. Doctor Perea, ubi hoc Celladei negat? cur locum non citas? exiſtimo, quòd nunquam in manibus tuis Celladei fuerit, dum tam aliena ipſi affingis. lege cit. quæſt. §.3. ubi ſic habet: *contingit porrò, & veras, & falſas innumeras opiniones, quibus libri implentur, probabiles eſſe, falſas aliquando etiam probabiliores*, quin veras non ſemel haberi improbabiles. lege etiam §. 4. ubi ſic ait: *profectò indubitatum eſt, & plurimas falſas doctrinas probabiles eſſe, quin, non opinio, ſed proverbium eſt, aliquando falſa eſſe probabiliora.* qua igitur ingenuitate [uſurpo iterum jure optimo contra te, quod tu malè contra alios

clarissimos viros] qua fide Domine Doctor dicis, quòd Elizalde *expressè doceat, nullam opinionem re ipsa falsam, esse probabilem.*

Sect. 3. num. 32. refert quædam dicta ex Celladei, & inter alia, quòd peccet, qui falso judicio dirigitur, si erret vincibiliter: si tamen invincibiliter erret, non peccare. & hoc dictum laudat, sed validè, ut sibi imaginatur, illud impugnat ex aliis principiis Celladei. Sic igitur contra ipsum arguit: Si hoc dictum, quod verissimum est, conjungatur cum doctrina Celladei, pessimam infert, & damnatam consequentiam; nempe istam: ergo opinio tenuis, aut etiam nullius probabilitatis excusat à peccato: quod est damnatum ab Innoc. XI. probatur. nam per te omnis opinio falsa, est tenuis, aut etiam nullius probabilitatis: sed per te opinio falsa (quando est invincibilis) excusat à peccato, ergo opinio tenuis, aut nullius probabilitatis excusat à peccato. Ità Perea. sed quàm tenuis, aut nullius probationis sit hoc argumentum, facilè apparet, si recognoscatur, quòd Celladei pro indubitato admittat, *plurimas falsas doctrinas probabiles esse, quin omnino falsa aliquando esse probabiliora.*

Sect. 3. num. 34. post Celladei tam

acu-

acuto argumento confixum, scilicet, &c. eadem subtilitate aggreditur RR. P. Generalem, hoc modo: licet RR. Thyrsus nobis omnino placeat in eo, quòd contra Celladeum docet, posse dari ignorantiam invincibilem juris naturalis, displicet tamen in eo, quòd oppositam sententiam, quam judicat falsam, adhuc appellat probabilem. hoc enim repugnat huic Authori dissert. 3. cap. 3. §. 2. ubi hoc assumit probandum: quando opiniones sunt invicem oppositæ, & veritas unius est falsitas alterius, non manet absolutè probabilis respectu operantis pars illa, quæ ipsi proponitur ut minùs verisimilis, quia illam non potest tunc approbare ut veram per prudentem assensum. Nunc sic: opinio Celladei apparet ut minus verisimilis, atque item ut falsa RR. Thyrso affirmanti, & tenenti ejus contradictoriam; ergo ea ipsa opinio Celladei non potest apud eundem Thyrsum esse probabilis: & tamen apud illum est & dicitur probabilis; ut constat ex sua tertia propositione capitali in secunda tabella, quam appendit in fronte operis sui; ergo sibi contradicit RR. Thyrsus. sic DD. Perea. sed facilè advertere poterat, affirmantem, & negantem de diversis, minimè sibi contradicere. Sciebat autem

DD. Perea [nam hoc ipsum refert in introductione §. *Præambulæ observationes*] apud RR. P. Thyrsum aliam esse probabilitatem subjectivam, & aliam objectivam. Secundùm hanc igitur divisionem dicit, opinionem Celladei esse sibi probabilem, objectivè: & non esse sibi probabilem, subjectivè: & quæ in hoc contradictio? in forma igitur, pro expolienda DD. Pereæ Philosophia, conc. ant. quòd RR. P. Thyrso opinio Celladei appareat ut minùs verisimilis, & ut falsa. ergo ea ipsa opinio Celladei non potest apud eundem Thyrsum esse probabilis: dist. cons. non potest esse apud eundem probabilis subjectivè, conc. non potest apud eundem esse probabilis objectivè, nego cons. atqui tamen apud illum est & dicitur probabilis: distinguo subs. est & dicitur apud illum probabilis objectivè, conc. est & dicitur apud illum probabilis subjectivè, nego subs. ergo sibi contradicit RR. Thyrsus: dist. cons. si dicat, eandem opinionem sibi esse probabilem objectivè, & neget, eandem sibi esse probabilem obiectivè, conc. si dicat, eandem opinionem sibi esse probabilem objectivè, & neget, eandem sibi esse probabilem subjectivè, nego cons.

Sect. 3. num. 35. transit ad alios Au-

thores,

thores, à nimia laxitate Probabilistarum abhorrentes, & universim arguit illos de inconsequentia doctrinæ: nominatim autem Gonetum notat, aitque ipsum rationibus debilissimis uti: idque se in sequentibus ostensurum promittit. Expectemus hos Promissoris hiatus. Interim solùm dico, si verum sit, M. Gonetum debilissimis argumentis uti; illa simillima esse argumentis, quibus hactenus est usus DD. Perea.

Sect. 4. num. 36. ait, à Probabilistis, ad rectè agendum, requiri judicium reflexum, moraliter certum, vi cujus conscientia reddatur secura, quod hic & nunc non peccet. Antiprobabilistas autem dicere, tale judicium vix, aut ne vix quidem esse possibile, multoque minùs requisitum ad operandum sine peccato; sed sufficere, quòd quis ex motivis probabilioribus judicet, contractum istum esse re ipsa licitum; judicio videlicet firmo, & non fluctuante. deinde num. 37. & 38. mirabilem hinc oriri vicissitudinem infert, fieriq; ut quod Antiprobabilistæ objiciunt Probabilistis; eos nimirum sua laxitate exponere periculis peccandi hominum conscientias: id ex Antiprobabistarum doctrina nasci omnino; ex Probabilistarum verò doctrina penitus removeri, perspicuè ap-

 pa-

pareat. Se enim ab agentibus requirere, ut certitudinem sibi procurent, quòd licitè agant, & non peccent: Antiprobabilistas autem solummodo illis præscribere, ut habeant judicium probabilius, opinativum, affirmans hunc contractum esse licitum, & permittens simul formidinem & timorem gravem & prudentem circa hoc ipsum, seu circa illicitum, & peccaminosum talis contractus.

Sed fallitur vehementer DD. Perea, dum existimat, Antiprobabilistas judicium moraliter certum excludere. maximè enim illud requirunt: atque ut haberi possit, idoneè præparant hominem per prudens ac firmum judicium speculativum, sive versans circa ipsam materialem honestatem actionis. Si enim quis videat, se, pensatis diligenter omnibus, prudenter judicare, quòd versetur circa rem licitam, subjungere poterit judicium practicum, quo judicet, *se licitè, & irreprehensibiliter operari*; idque certò: quia certum est, non esse reprehensibilem, qui fecit, quantum potuit. quòdsi verò, pensatis diligenter omnibus, videat homo, valde verosimile esse, ac notabiliter probabilius, se versari circa rem illicitam, ajunt Antiprobabilistæ, vix, ac ne vix quidem possibile

sibile esse, subjungere illud judicium practicum: atque adeò Probabilistas, dum illud nihilominus in talibus circumstantiis elici volunt, suadere hominibus, ut videntes pericula peccandi, non videant, nec timeant, ubi ratio maximè suadet timendum: quod non est aliud, quàm securitatem longè periculosissimam offerre; per quam peccata non vitentur, nec excusentur, sed fiant, & culpabiliter facta esse ostendantur.

Totum, quod dico, habetur in aurea illa Synopsi, quæ ex mente RR. P. Generalis prodiit, & primùm Tyrnaviæ, deinde octo aliis in locis lucem aspexit. in illa §.8.n.22. sic habetur: ut prudenter possit intellectus judicare illum contractum esse licitum, debet ante hoc judicium invenire motivũ aliquod, quod ipsi hanc partem reddat magis verisimilem, quàm oppositam; ubi autem hoc motivum fuerit notabiliter excedens motiva partis contrariæ; eliciet actum judicii in genere probabilium firmum, vi cujus prudenter opinetur dictum contractum esse licitum; reflectens verò supra hoc suum judicium, reddi videtur omnino securus, & certus moraliter, quòd non peccet exercendo talem contractum; facit enim hunc discursum vel formaliter vel virtualiter: unicuique licitum est

facere, quod post diligentem veritatis inquisitionem citra omnem passionem & culpam prudenter judicat esse secundùm se licitum ob fundamenta notabiliter præeminentia omnibus, quæ in contrarium adducuntur; sed ego hic & nunc prudenter judico, talem contractum esse secundùm se licitum, quia post accuratum studium ex amore veritatis unicè susceptum, pro hac parte inveni fundamenta notabiliter majora omnibus iis, quæ in contrarium mihi occurrunt: ergo hic & nunc licitum est talem contractum exercere. ita RR.P.G. videat jam DD.Perea, quàm malè referat sententiam Antiprobabilistarum, dum ait, illos judicium moraliter certum, & reflexum excludere: & si propter hoc concepit horrorem sententiæ cautioris, mutet illum in amorem; ac conscientiæ securitatem non affectatam & temerariam illam, sed solidam, quæ à rationibus probabilioribus subministratur, sibi statuat comparandam. & insuper noverit, Antiprobabilistas, qui judicium *firmum & non fluctuans* requirunt, ut ipse refert num.36. imò etiam, ut vidimus, judicium reflexum certum (sive realiter, sive virtualiter distinctum, quod nunc ad rem non refert) noverit, inquam, ipsos minimè concedere hominibus, ut

cum

cum formidine gravi ac prudenti operentur; ut pessimè ipsis imponit nu.37.

Sed, inquis num.39. timendi obligationem inculcat cum Tyrso & aliis, Muniessa, dum pag.18. ait, Probabilistarum dictamen reflexum ac certificans, esse contra illud Jobi cap.9. ver.28. *Verebar omnia opera mea*. & contra illud Apostoli ad Philip. cap.2. ver.12. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini*: quæ verba sic exponit Muniessa, ut etiam dum bene agimus, inter spem & metum de ipsa nostra operatione agamus.

Respondeo, rectissimè Muniessam hos textus, Adversariorum dictamini objicere. Illi enim hoc formant, quando apparent rationes notabiliter majores pro illicito, & quando meritò timendum est, ne incurratur culpa. ex hoc autem non sequitur, concedi & requiri à Muniessa, ut timeamus, quando adhibita debita diligentia invenimus, rem honestè à nobis fieri posse. unde quando vult, nos in ipsa operatione inter spem & metum esse, solùm loquitur de metu radicali, & tali præparatione animi, ut si in oppositum aliquid probabilius & verisimilius occurreret, parati essemus, à tali actione deinceps desistere: contra quem metum radicalem, &

præ-

præparationem animi, est dictamen reflexum, prout ab Adversariis adhibetur; qui per id sic obfirmant animum, ut deliberatum ipsis sit, non curare quidquam de rationibus, quantumvis in oppositum notabiliter probabilioribus, & satis clarè errorem ostendentibus, modò convincentes non sint: quæ profectò est securitas non bona, & in præsidentiam culpabilem transit.

Num. 41. sic ait: dum Muniessa cum Adversariis docet, nos juxta Apostolum debere habere, dum operamur, timorem non peccandi in tali operatione, & dum aliunde docent, tunc depellendum esse timorem ut imprudentem, & ut scrupulum contemnendum; hæc tria manifestè præstant: primò, sibi contradicunt. Secundò obtrudunt Apostolum consulere timorem imprudentem, inanem, & contemnendum. Tertiò exponunt homines periculo peccandi, faciunt enim, ut operentur cum timore consulto peccandi; quæ omnia absurdissima esse quis non videat? Hæc sanè cogerent homines ad timendum, cùm consulant timorem; & ad non timendum, cùm timorem avertant; unde eorum conscientia inani vertigine agitata, se ipsam dilaniaret, cùm maximè metu spreto sibi favere deberet. ita DD. Perea.

Sed

Sed patet solutio ex dictis: solùm enim suadetur timor radicalis, vi cujus ita sit præparatus animus agentis, ut si clarior lux veritatis pro opposita parte appareret, illam amplecteretur, nec vellet minori probabilitati, in favorem carnis, contra motiva notabiliter præponderantia, pertinaciter magis & in fraudem legis, quàm piè adhærere, animo in veritatis amplexum parato.

Sect. 5. num. 42. ad confirmandam suam doctrinam adducit textum ex S. Thoma, manifestè ex errore typi depravatum, & qui, si rectè legatur, est totus pro nobis. habet autem sic: aut ille, qui facit contra opinionem Magistrorum, utpote habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem; & sic cùm faciat contra legem Dei, non excusatur à peccato; quamvis non faciat contra conscientiam, sic enim contra legem Dei facit: aut illa opinio non est vera, sed magis contraria, quam iste sequitur: ita quòd verè liceat habere plures Præbendas: & tunc distinguendum est, quia aut talis habet conscientiam de contrario [id est, de eo, quòd sit illicitum] & sic iterum peccat: *aut non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem, sed tamen in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate*

opi-

opinionum: *& sic*, *si manente tali dubitatione plures præbendas habet*, *periculo se committit*, *& sic procul dubio peccat*, *utpote magis amans beneficium temporale*, *quam propriam salutem*. aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur; & sic non committit se discrimini, nec peccat. ita textus S. Thom. in quo commissum ab impressoribus errorem, certum est: nam illa verba, *aut non habet conscientiam de contrario*, *sed certitudinem*, *sed tamen in quandam dubitationem inducitur*; nullum reddunt sensum: quid enim est, aut quomodo esse potest, *non habere conscientiam de contrario*, *sed certitudinem*, *sed tamen in quandam dubitationem induci*? quomodo non habet conscientiam de contrario, si habet de illo certitudinem? & quomodo habet certitudinem, si *tamen* in quandam dubitationem inducitur, & quidem in talem dubitationem, cum qua *procul dubio* peccat? in textu igitur loco *seu* positum est *sed*, qui error facilè accidere solet: unde ut aliquis sensus eliciatur, sic legendum erit: *aut non habet conscientiam de contrario*, *seu certitudinem*, *sed tamen in quandam &c.* Sic enim aliquis sensus verborum erit: utrum pro me, jam non contendo: certè non pro Adversario.

Da-

Dato etiam, textum legendum esse, prout invenitur, nullo modo favet Adversario; & omnino ridiculè illum sibi applicat; recitans enim verba illa: *aut non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem*, hanc addit parenthesin (*ne stantibus opinionibus contrariis stare potest certitudo de non peccato*) quæso quomodo videbimus, ibi stare certitudinem de non peccato, ubi cum certitudine stat dubitatio, qua stante, juxta Angelicum Doctorem procul dubio peccatur? Stare vero cum prædicta certitudine dubitationem illam, contendit ipsemet DD. Perea num. 43. sic inferens: *ex quo vides, posse dari duas opiniones contrarias Magistrorum, & tamen posse discipulum vel operantem habere certitudinem de eo, quod non peccet sequendo opinionem benignam, & se conformando cum Magistris ita sentientibus: at hanc certitudinem non habet, quia videt veritatem opinionis directæ, hæc enim adhuc est dubia, & controversa inter sapientes; nec discipulus debet præsumere, se in similibus dubiis semper invenire certam veritatem, de qua dubitant sapientiores Magistri: ergo certitudo, quam homo in eo casu habere potest, & de qua loquitur S. Thomas, est certitudo reflexa de eo, quòd hic & nunc non peccet*. ita DD. Perea. quis non rideat hanc illationem!

Se-

Secundùm S. Thom. ex certitudine conjuncta cùm dubitatione, *procul dubio peccatur*: Secundùm te habetur certitudo conjuncta cum dubitatione; ergo [infers tu] habetur certitudo, cum qua secundùm S. Thom. non peccatur. non sic DD. Perea in Logica didicimus; contraria facienda est illatio, & dicendum: *ergo cum certitudine, quæ hic & nunc habetur, procul dubio peccatur.*

Ulterius; qui certus est, quòd non peccet formaliter, non habet dubitationem, quòd peccet formaliter, ut nu. 44. doces, & per se clarum est ergo S. Th. conjungens in posito casu certitudinem, secundùm te, quòd non peccet formaliter, cum dubitatione, quòd peccet, non conjungit illam cum dubitatione, quòd peccet formaliter: ergo solùm illam conjungit cum dubitatione directa, sive, quòd peccet materialiter: & tamen secundùm S. Th. habens certitudinem conjunctam cum hac dubitatione, *procul dubio peccat*: ergo S. Thom. in posito casu vel non loquitur de certitudine, quam tu adstruis; & sic frustra ipsum pro te adducis: vel si loquitur de tua certitudine, tua certitudine, utpote stante cum dubitatione prædicta, procul dubio peccatur.

Non minùs ridiculum est, quod n. 45.

ex

ex illis verbis, *aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur*, sic infert: *vides denique juxta illa verba ultima D. Thomæ*, aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur; *vides, inquam, hominem in conflictu duarum opinionum contrariarum de licito, licèt æquè probabilium & fundatarum in motivis, & authoritate æquali Magistrorum, adhuc posse obtinere certitudinem, qua in nullam dubitationem inducatur, & qua videat nullum esse periculum peccandi formaliter, & verè displicendi Deo.*

Quomodo, quæso, DD. Perea, ex citatis verbis tu vides, posse hominem in conflictu duarum opinionum *æquè probabilium*, obtinere certitudinem, quòd non peccet formaliter; cùm in conflictu opinionum *æquè probabilium*, aut etiam non obstante, pro altera parte, excessu, maneat secundùm te num. 43. illa dubitatio, cum qua, juncta certitudini, secundùm S. Thomam procul dubio peccatur? Secundùm te enim manet in tali casu dubitatio directa, sive de reali honestate: *nam hæc*, inquis loc. cit. adhuc *dubia est*, & *controversa inter sapientes, nec Discipulus debet præsumere, se invenire veritatem certam, de qua dubitant Sapientiores Magistri*: atqui hac dubitatione juncta certitudini, procul dubio

bio peccatur, secundùm S. Thomam: quomodo ergo tu vides ex verbis citatis S. Thomæ, posse in conflictu *æquè probabilium* opinionum obtineri certitudinem, quòd non peccetur formalites? Subsumptum jam quidem probatum est; probatur autem in tui gratiam etiam altera vice, sic. S. Thomas in suo casu non conjunxit certitudinem cum illa dubitatione, quæ per certitudinem excluditur: sed per certitudinem, quòd non peccetur formaliter, excluditur dubitatio, quòd peccetur formaliter; ergo cum sua certitudine non hanc dubitationem conjunxit, sed aliam, nempe illam, quæ est de materiali peccato: ergo cùm procul dubio peccetur cum hac dubitatione secundùm S. Thomam: & cùm hæc in conflictu opinionum *æquè probabilium* maneat, etiam secundùm te; obtinetur in posito casu certitudo, cum qua procul dubio peccatur. quomodo ergo tu vides in verbis citatis certitudinem, quòd non peccetur?

Quare hæc ultima verba textus S. Th. *aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur*, rectissimè à RR. P. Generali applicata sunt ad illum casum, in quo pro una parte ita præponderant rationes, ut rationes, quæ militant pro parte opposita, tanquam falsæ con-

contemnantur: pro tuo autem casu, sive in concursu *æquè probabilium* opinionum, applicari nullo modo possunt; quia habent secum illam dubitationem, *cum qua procul dubio peccatur* secundùm S. Thomam. Vides ergo, quòd in textu S. Doctoris minimè videris, quod erat videndum.

Sect. 6. num. 53. ait, non minùs celebrem esse Eminentissimi Cajetani locum in Summa verbo *opinio*; ubi sic habet: *eo ipso, quod operatio regulanda committitur opinioni, committitur regulæ ambiguæ: quia opinio omnis ambigua est, utpote cum formidine alterius partis; & quia præsupponitur, quòd non eligatur tutior pars, consequens est, ut operatio committatur regulæ ambiguæ ad casum peccati, quod constat esse illicitum. & si de peccato mortali agitur, constat esse mortale, facere scienter operationem dubiam, an sit mortalis. & hæc intellige de opinione propriè dicta, quæ est cum formidine alterius partis, ut per se loquendo. non enim propterea aliquid opinione tenetur, quia diversi Doctores contraria sentiant: quoniam cum hujusmodi contrarietate stat, quòd una pars sit ratione, sufficiente ad moralem certitudinem, fulta.*

Hunc textum, ait DD. Perea, à RR. P. Generali *inconstanter exponi, dum eundem modò pro se adducit, modò ut erroneum*

latè

latè impugnat, & refellit, nævo minimè dissimulando.

Tria mihi præstanda esse video. primùm ostendere oportet, quàm subtiliter, & reverenter, hunc textum in meliorem partem exponat RR. P. Generalis; vel ex hoc capite de tota Illustrissima Thomistarum Schola optimè meritus. Deinde, quàm infamem sua expositione hunc textum, & hanc doctrinam Eminentissimi Cardinalis reddat DD. Perea. Postremò, quàm manifestè totus textus sit contra DD. Perea; & quàm manifestè sit totus pro nobis.

Ad primum igitur quod attinet, videns RR. P. Generalis, textum ex una parte clarè loqui de opinione directa: eò quòd loquatur de opinione, *cui operatio illicitè committatur, si ad casum peccati non eligatur tutior pars*: hoc autem fit, si operatio committatur opinioni directæ: nam judicio reflexo secundùm Adversarios omnino licitè committitur operatio: ex altera verò parte videns RR. P. Generalis, nimium esse, requirere, ut pars, quam sequeris, fulta *sit ratione sufficiente ad moralem certitudinem, rigorosè acceptam*: quia sic rarissimè liceret operari, & ne quidem possemus sequi inter opiniones probabiles probabilissimam: quæ est propositio damnata: hæc, inquam, vi-

videns, quid fecit? ingeniosissima divisione usus, statuit, duplicem esse certitudinem moralem; unam primæ classis; qua credimus v. g. aliquando extitisse Trojam, Ciceronem fuisse Consulem: quæ sic tenemus, ut vel minimè de illis dubitare velle, insania reputaretur: alteram secundæ classis; qua, licèt non cum priore illo adhæsionis excessu, firmo tamen, & minimè vacillante assensu rem affirmatam amplectimur: quod fit, quando pro una parte habemus rationes notabiliter præponderantes: tunc enim rationibus oppositæ partis, utpote notabiliter infirmioribus, in nullam anxietatem, hæsitationem, aut ambiguitatem pendentem inducimur. De hac igitur certitudine intelligendum eminent. Cardinalem vult RR. P. Generalis. ipsumque simul & à nimio rigore, & à propositione damnata, acutè, & plausibiliter immunem præstat. Neque hunc textum, sive hanc certitudinem dissert. 10. c. 3. impugnat, aut refellit RR. P. Generalis, ut oscitanter sibi imaginatur DD. Perea: cùm RR. P. Generalis, dicto c. 3. asserens, Emin. Cardinalem requirere certitudinem directam, sive speculativam, expresè referat se, & sensum Emin. Card. ad illam certitudinem secundæ classis; dum interposita parenthesi

thesi ait, requirere Emin. Card. certitudinem speculativam [*in sensu superius exposito*]. atqui textum secundo loco accipere secundùm expositionem primo loco datam, non est, *eundem textum inconstanter exponere, & modò impugnare, ac refeilere, quòd paulò ante probaveras*: ergo immerito hanc notam inurit DD. Perea RR. P. Generali. Hoc verum est, quòd RR. P. Generalis cit. c. 3. latè impugnet, & refellat limitationem illam, seu potiùs extensionem, quam in Opusculis tom. 1. tr. 31. facit Eminent. Cardinalis; dum ait, quòd licèt non habeatur certitudo illa moralis universaliter, & speculativè, ita ut de licentia contractûs v. g. secundùm se verè aliquis formidet, & ambiguus hæreat: tamen non obstante hac formidine, & hæsitatione, possit habere certitudinem illam moralem in particulari, & practicè. Sed hæ certitudines, cùm ponantur separabiles esse, & una haberi, non verò altera, utique secundùm DD. Perea, qui hanc limitationem, & separationem tenet, idem non sunt: quomodo ergo RR. P. Generalis, dum priorem certitudinem laudat, & requirit, alteram verò impugnat, quomodo, inquam, per hoc amplectitur modò idem, & modò tanquam erroneum impugnat, & refellit?

Au-

Audiamus jam, quàm bellè prædictum textum exponat DD. Perea. Premere jubet verba illa Cajetani: *hoc ipso quòd operatio regulanda committitur opinioni, committitur regulæ ambiguæ, quia opinio omnis ambigua est*; ex quo [ait Perea] deducit Cardinalis, sic se committentem peccare. bene est, premamus prædicta verba; sed priùs sinamus illa DD. Perea premere; quid inde eveniet? statim patebit, ubi post DD. & nos illa presserimus. ille igitur premens, sic subsumit: *Sed opinio quamvis probabilior, adhuc est opinio; ergo qui per illam tantùm dirigitur, exponit se periculo peccandi, & peccat juxta Cajetanum; ergo requiritur juxta Cajetanum certitudo superans opinionem, & si probabiliorem*. nunc ad imitationem D. D. premamus & nos, & sic subsumamus: *Sed opinio quamvis probabilissima, adhuc est opinio; ergo qui per illam tantùm dirigitur, exponit se periculo, & peccat juxta Cajetanum; ergo requiritur juxta Cajetanum certitudo superans opinionem, & si probabilissimam*. Sed hoc DD. Perea damnatum est: ergo tam acutè explicas textum Emin. Cardinalis, ut clarè significes, ejus doctrinam ab Ecclesia esse proscriptam. pro qua expositione debitæ tibi ab jis, quorum interest, gratiæ reddantur.

Nunc ad tertium progrediamur, & videamus, quàm totus textus Eminen. Cardinalis sit pro nobis, & totus contra DD. Perea. imprimis dicit Em. Car. *si in opinione non eligatur tutior pars, consequens esse, ut operatio committatur regulæ ambiguæ ad casum peccati, quod constat esse illicitum*. Subsumo: atqui DD. Perea in opinione [etiam minùs probabili, atque adeò propriè dicta, & verè ambigua, ac conjuncta cum rationabili formidine alterius partis; *cùm omnis talis ac tam infirma opinio, juxta Emin. Card. ambigua, & formidolosa sit*] non eligit partem tutiorem, sed minùs tutam: ergo consequens est, ut operationem committat regulæ ambiguæ ad casum peccati, *quod constat esse illicitum*, juxta Emin. Card. ergo judicio E. C. rem manifestè ac notoriè illicitam facit DD. Perea; non igitur hic textus pro DD. Perea, sed contra ipsum est.

Si dicat, se in casu opinionis [propriè talis, & conjunctæ ex natura sua cum formidine alterius partis; qualis est opinio notabiliter minùs probabilis] non committere operationem regulæ ambiguæ, eò quòd superaddat judicium reflexum, non ambiguum, sed certum: hoc, inquam, si dicat, negat id, quod in suo textu E. C. affirmat. ait enim,

ex

ex hoc, quod non eligatur tutior pars, *consequens esse*, ut operatio committatur regulæ ambiguæ ad casum peccati: ergo si hoc DD. Perea non facit; aut *esse consequens* negat, aut quod consequens est, non facit: quorum primum est contradicere textui, quem pro se adducit: alterum est contra rationem, *& consequenter* illicitè agere.

Hæc de opinione propriè dicta, conjuncta cum ambiguitate, & formidine rationabili, theologica & conscientiali, cùm dixisset E. C. subjungit: *non propterea aliquid tali opinione teneri, quia diversi Doctores contraria sentiant; quoniam cum hujusmodi contrarietate stat, quòd una pars sit ratione sufficiente ad moralem certitudinem fulta*. Subsumo: atqui non pars notabiliter minùs probabilis, & habens rationes manifestè infirmiores, sed pars notabiliter probabilior, est fulta ratione sufficiente ad moralem certitudinem; illam nimirum secundæ classis, quæ consistit in assensu firmo, minimè hæsitante, & conscientiam cum magna tranquillitate assecurante: ergo cùm E.C. concedat, tali judicio rectè committi operationem; & cùm pro tali judicio sola pars, notabiliter probabilior, sufficientes habeat rationes, non verò pars notabiliter minùs probabilis [neque enim

 dicet

dicet DD. Perea, partem notabiliter minùs probabilem, habere *ex ratione* moralem certitudinem; aut fateri debebit partem notabiliter probabiliorem, habere certitudinem vel physicam, vel moraliter maximam, adeòque juxta mentem E. C. sufficientissimam ad regulandam operationem; cùm juxta hunc aliqua moralis certitudo sufficiat: & sic hoc ipso fatebitur DD. Perea, quòd contra mentem E. C. regulam ac dictamen nostrum impugnet] cùm, inquam, tali judicio, in nostra sententia reperto, non verò reperto in sententia minùs probabili, rectè committi operationem asserat E. C. manifestum est, quòd nostram sententiam approbet, ac teneat, adversariorum verò sententiam reprobet, ac refutet. patet ergo, quàm infelix sit in exponendis auctoritatibus DD. Perea, dum alios doctiores se, corrigere vult; *qui est nævus minimè dissimulandus*.

S. 7. præter RR. P. Generalem aggreditur Patrem Vasquez; quòd neget, haberi posse judicium particulare certum, carens omni formidine, si judicium universale sit aliquo modo formidolosum: utitur autem tali impugnatione, quæ manifestam continet petitionem principii, sive, quæ id ipsum, quod Vasquez ostendit non adesse, etiam

ipsa

ipsa requirit, & tamen adesse nullo modo ostendit. dicit enim Vasquez, quòd ad hoc, ut propositio particularis discrepet ab universali, debeat esse aliqua circumstantia & ratio, quæ fundet exceptionem in judicio particulari. nam si universaliter verum sit, omni die Festo esse audiendum Sacrum, etiam verum erit, audiendum esse hoc, vel illo die Festo in particulari, nisi adsit quædam circumstantia & ratio hunc, vel illum diem Festum excipiens: ergo similiter, si consideratis omnibus, judicium de licentia alicujus actionis, v. g. contractus, sit aliquo modo formidolosum, etiam judicium de hoc præsenti & individuali contractu erit aliquo modo formidolosum. atqui [subsumit Vasquez] consideratis omnibus, & prefertim favore doctorum asserentium, judicium vniversale & speculativum de licentia contractùs manet aliquo modo formidolosum; ergo etiam judicium particulare & practicum, de licentia hujus in individuo contractùs, erit aliquo modo formidolosum, nisi accedat pro illo aliqua specialis ratio & circumstantia, quæ tantam de ejus licentia præbeat certitudinem, ut cum ipsa nulla formido consistere possit.

Ad hunc discursum admittit DD.

Perea, debere adesse aliquam rationem, quæ variet judicium particulare ab universali. Sed præter ea, quæ unicè adesse posuit & ostendit P. Vasquez, nihil ostendit adesse: dicit enim n. 65. hanc rationem excusantem esse probabilitatem juxta sua principia vel æqualem, vel etiam minorem, vel juxta principia nostra, majorem: atqui hanc probabilitatem jam posuit P. Vasquez, ut concurrentem ad judicium universale: ergo cùm per eam judicium universale & speculativum non reddatur immune ab omni formidine, nihil affert DD. Perea, quod posset judicium particulare facere omnino certum, & carens omni formidine: ergo sic arguit Patrem Vasquez, ut totum ejus argumentum ratum firmumque relinquat; quod est arguere, quod confutare non possis, & nolle concedere, ab aliis dictum, quod ipsissimum tu dicas: aut omnino nescire, quid dicas, vel quid neges.

Argumentum Vasquezii potentiùs promouet RR. P. Generalis, dum etiam posito, quòd favor Auctorum non poneretur in judicio universali, nervosè ostendit, illum, præsertim cum sit de minùs probabili, non posse assumi ad formandum judicium particulare certum: quomodo enim, qui sine passione judi-

judicare velit, pro certo habere poterit hoc principium: *qui facit, quòd licitè fieri posse dicunt sapientes, quos videas probabilius falli in hoc suo judicio, ille prudenter & licitè facit?* nunquid hoc principium potiùs falsum, quàm verum apparet? quomodo autem, quòd potius apparet falsum, quam verum, haberi poterit pro certo; cùm omne, quod judicatur certum, aut prius aut simul judicetur esse verum? patet igitur, Auctores benignæ sententiæ sic premi à RR. P. Generali, ut nullatenus ostendere possint pro sua opinione, præsertim quando est de minùs probabili, minusque tuta parte, formari posse judicium practicum certum: & quia sine hoc licitè agi posse negant, patet, illos compelli, ut fateantur, ex sua opinione, saltem quando est de minùs probabili, licitè agi non posse: & quia præterea secundum ipsos, & DD. Perea, idem est de æqualiter probabili, quod de minùs probabili; patet universim, ex ipsorum sententia nullo modo licitè agi posse, adeòque adesse obligationem agendi secundùm sententiam RR.P.Generalis.

Sect. 8. probat DD. Perea, haberi posse judicium reflexum certum; idque præstat in casu opinionis probabilioris. Sed nihil servit hæc probatio ad sen-

tentiam, quam tuetur DD. Perea: imò magis sententiam illam refellit. nam si certum est hoc principium: *qui facit, quod ex rationibus notabiliter præponderantibus, licitè fieri dicunt sapientes, quos ob tantam præponderantiam rationum operans meritò judicat rectè dicere, ille prudenter & licitè facit*: si, inquam, hoc principium certum est, ut sanè est: sequitur clarè, principium oppositum huic, certum non esse; cùm opposita simul certa esse non possint: sed principium probabilistarum est oppositum huic principio; est enim illorum principium *de conformando se sapientibus, quos videas probabilius falli*: hoc verò de sapientibus, *quos prudenter judicas verum dicere*: ergo si propter hanc circumstantiam sapientum fit, ut aliquis certò agat laudabiliter, sublata hac circumstantia, & substituta alia contraria, auferetur certitudo laudabilitatis, & succedet vituperabilitas. potiùs ergo DD. Perea per hanc probationem, à RR. P. Generali acceptam, destruit suam sententiam, quàm ædificet.

Sect. 9. asserit, quòd in casu æqualis probabilitatis, formari possit judicium prudens, & certum de licito usu talis opinionis. & notat huic asserto, refragari omnes Antiprobabilistas, ideòque illud

illud esse stabiliendum tanquam fundamentum sententiæ benignæ.

Conatur id facere primò à posteriori. nam, inquit, quando opinio directa de licito hujus contractus est æquè probabilis, datur major authoritas pro judicio reflexo de eo quod ego sine peccato utar tali opinione. Patet hoc evidenter, nam veritatem hujus judicii reflexi defendunt omnes Probabilistæ. ergo ex æquali probabilitate directa potest nasci major probabilitas reflexa: ergo judicium certò excusans. quia juxta ipsos Antiprobabilistas major probabilitas excusat. Deinde si judicium reflexum possit ita superare opinionem directam, ut sit probabilius illa; poterit etiam superare usque ad certitudinem: ergo ex opinione utrinque æqualiter probabili poterit nasci judicium reflexum certum.

Substantia hujus argumenti, si bene assequor, in hoc consistit: certum est, me licitè eligere id, quod plerique viri docti dicunt, me licitè posse eligere: sed in concursu æqualis probabilitatis directæ, plerique viri docti dicunt, me licitè posse eligere partem mihi faventem, v.g. inire contractum: ergo certum est, me licitè eligere hic & nunc contractum: ergo ex opinionibus directis

 æqua-

æqualiter probabilibus nasci potest judicium reflexum certum, & prudens, atque excusans.

Ut latens deceptio cognoscatur, applicemus hoc ipsum argumentum ad casum opinionis notabiliter minùs probabilis, & notabiliter probabilioris: nam eodem modo in hoc concursu Probabilistæ discurrunt. Si ergo clarè ostenderimus, non posse in hoc concursu formari judicium reflexum certum & prudens pro parte minùs probabili, hoc ipso etiam pro altero concursu, & sic universim contra sententiam Probabilistarum, id fecerimus.

Quapropter fundamentum illud distinguo. licitè eligo, quod plerique viri docti dicunt, me licitè posse eligere, si non ostendantur, per rationes valde ponderosas, viri illi docti ab aliis viris doctis probabilius errare; & si viri illi docti non videantur exigere aliquid aut irrationabile, aut temerarium; & si insuper, quando ad modum exequendi suum consilium venitur, non inter se dissideant, & ipsimet negent, sic licitum esse, quod suadetur, conc. Si hæc adsint, ut adsunt, nego ma. & sub eadem responsione, reliqua. Vel enim quando eligitur minus probabile relicto notabiliter probabiliore, oportet judicare,

mi-

minùs probabile re ipſa eſſe verum, & honeſtum; notabiliter probabilius autem eſſe falſum, & inhoneſtum? & hoc eſt irrationabile: quid enim minùs rationi conveniens, quàm veritatem adjudicare minori veritatis indicio, & negare majori? vel oportet quidem judicare, notabiliter probabilius eſſe honeſtum re ipſa, electionem tamen contrarii fore honeſtam formaliter, hoc eſt, irreprehenſibilem? & hoc plus eſt, quàm irrationabile: quomodò enim à ſano intellectu formari poteſt hoc complexum: *ego quidem hic & nunc liberè eligo rem prohibitum & inhoneſtam, ſed ſum irreprehenſibilis*? vel oportet abſtrahere, an actio re ipſa ſit honeſta, aut inhoneſta? & hoc eſt temerarium: quæ enim eſt major temeritas, in rebus conſcientiæ aut omnino non curare periculum materialiter peccandi, aut per rationes notabiliter præponderantes ſatis ſuperque applicatum, negligere? atque in his vel conceſſis, vel negatis, ita inter ſe diſſentiunt Probabiliſtæ, ut alii alios refutent, & tales ſuaſores non audiendos dicant. videt ergo DD. Perea, quòd major illa authoritas, qua ſe fundat, valde minuatur, ſi ad rem ipſam veniatur, ſintque *plerique illi*, non tam ſuaſores quàm diſſuaſores; dum proprio diſ-

 ſen-

ſenſu rem faciunt magis dubiam, quàm ſecuram.

Secundò probat DD. Perea nu. 76. certitudinem ac prudentiam judicii reflexi, ad hominem, ut exiſtimat, efficaciter, hoc modo: per Antiprobabiliſtas, etſi opinio excuſans contractum, ſit æquè probabilis cum oppoſita, & conſequenter licèt aliquis non poſſit per eos dicere, cõtractus eſt illicitus potiùs quàm licitus, aut è contra: nihilominus poteſt & debet reflectendo ſupra hunc caſum dicere, cõtractus iſte in hoc caſu eſt hic & nunc illicitus, ita quidem, ut hoc judicium ſit certum: ergo ſicut formatur hoc judicium rigidum, certum de illicito contractu, ita ex opinione æquè probabili de licito, formari poterit aliud judicium reflexum certum de licito uſu talis contractus. Urget poſtea num. 77. paritatem ſibi evidentem, hoc modo: ideo in eo caſu non poſſum per vos fieri reflexè certus de licito, quia æqualis illa probabilitas directa pro licito & illicito, cogit ad ſuſpendendum judicium directum affirmans contractum eſſe licitum, eo quod non videtur majus motivum, & non dato majori motivo tale judicium eſſet imprudens: ſed etiam in tali caſu non datur majus motivum pro opinione di-

recta

recta de illicito, & qui directè assereret contractum esse illicitum, potius quàm licitum, imprudenter assereret per vos, ergo si hoc non obstante formari potest judicium certum reflexum de eo, quòd in tali casu sit illicitus contractus, ita & formari poterit judicium reflexum benignum, & certum de eo quod sit licitus. Certè ego disparitatem non video. ita Doctor.

Non facilè legi discursum tàm invalidum, quàm istum: unde miror, quomodo illum pro efficaci habere possit DD. Perea. Si enim, ut vult ad hominem, stante æquali probabilitate directa de licito & illicito, habetur hoc ipso judicium reflexum certum de illicito, quomodo imaginari sibi potest, quòd haberi etiam possit judicium reflexum certum de licito? nunquid de eodem haberi potest certitudo, quòd sit licitum, & quòd non sit licitum? ergo ex ipsa prima certitudine sequitur exclusio secundæ: hac ergo data, & ad hominem concessa, non potest requiri secunda.

Declarabo nullitatem argumentationis in terminis, non tantùm ad hominem, sed absolutè concedendis à DD. Perea. Si dubium sit, an contractus sit *formaliter* licitus, vel illicitus, hoc ipso habetur judicium reflexum certum,

tum, quòd illicitè fiat stante hoc dubio. poteritne DD. Perea in hoc dubio similiter formare judicium reflexum certum, quòd licitè fiat? utique non? quia cùm bonum sit ex integra causa, malum ex quolibet defectu, quamdiu manet dubiū formale, quod est malum conscientiæ, tamdiu manet defectus, ex quo inferri potest, actionem esse illicitam: si ergo stante hoc defectu velis inferre, illam esse licitam, vis ex illicito inferre licitum, & ex defectu integrum: quod est contra omnem rationem. Similiter igitur, quamvis stante æquali probabilitate, rectè inferatur, illicitam fore actionem, quia fieret cum defectu alicujus requisiti, nempe judicii directi de materiali honestate, quod præcedere debet operationem: minimè tamen inferri poterit, illam licitè fieri; quia hoc inferretur ex defectu, contrario licentiæ.

Quòd verò præcedere debeat judicium directum, patet: quia reflexum non est, nisi supra directum: & quia nemo potest judicare, se irreprehensibilem esse, si non judicat, honestum esse, quod facit: & denique quia omisso directo judicio opinativo, non agit ex conscientia opinativa, de qua disputamus: quomodo enim habens solum judicium reflexum certum sive evidens,

ope-

operabitur ex conſcientia opinativa? ergo DD. Perea, niſi ſtatum quæſtionis tollere velit, debet concedere, ad licitè operandum ex opinione, debere præcedere judicium opinativum; hoc igitur cùm in caſu minoris, vel æqualis probabilitatis haberi prudenter non poſſit, quid mirum, ſi pro certo habeatur, actionem ſine debito requiſito factam, fore illicitam. & quomodo cum hac illatione ſtabit jus, ſimiliter inferendi, fore licitam, hoc eſt, non fore defectuoſam, licèt fiat cum defectu, & ſine debito requiſito?

Si nondum capit DD. Perea, quod dico; adhibeat caſum æqualis probabilitatis de eo, de quo inter arbuſta ſe movente dijudicari non poteſt, an ſit homo, vel fera. in hoc caſu certum eſt, quòd non liceat exonerare bombardam in illud movens. quare? quia talis ſe exponeret periculo occidendi hominem. vel igitur etiam poteſt formari judicium certum, quòd licitum ſit, tale movens percutere, vel non? ſi poteſt; ergo de eodem poteſt haberi certitudo, quòd ſit licitum, & quòd non ſit licitum: quæ eſt manifeſta contradictio: ſi verò non poſſit; ergo poteſt DD. Perea videre, quòd licèt ex æquali probabilitate formari poſſit judicium certum de illi-

illicito, non hoc ipso sequatur, formari eodem jure posse judicium certum de licito: quia nempe fingeret sibi aliquis securitatem ex ipso periculo, sive ex illa ratione, ex qua certus est, se non esse securum. confido itaque DD. in re tam clara nunc videre disparitatem.

Illud etiam adverto, hoc judicium, *quòd quando suspenditur assensus circa honestatem & licentiam, hoc ipso operatio fit illicita*, non esse reflexum: est enim directissimum, & quasi primum principium ad alia judicia; ergo DD. Perea ex hoc non probat, posse ex judicio merè probabili, vel omnino suspenso, comparari judicium certum reflexum; sed solùm, quòd pro hoc casu detur secundùm Antiprobabilistas judicium quoddam certum antecedens, ex quo tanquam aliquo primo principio inferatur actionis inhonestas, & vituperabilitas; quamvis in se fortassè honesta & laudabilis sit: quia nimirum sine debitis requisitis fit; sine quibus etiam bonum non bene fit. Sicut manifestè patet ex conscientia erronea, ex qua, si quis quod bonum est, judicet malum, & faciat, certè peccat, etsi rem de se bonam faciat, v. g. non restituat arma, malè usuro. Quapropter fallit se vehementer DD. Perea, dum ex eo, quòd de dire-

cta inhonestate alicujus contractus ob æqualitatem probabilitatis non constat, formare sibi vult judicium certum, in talibus circumstantiis contractum permitti à Deo. non enim permittit Deus, tanquam licitum, ut homo operetur sine debitis requisitis, sive, ut faciat, quod non judicat esse honestum. quando verò consideratis omnibus diligenter, judicat, honestum esse; sicut fit in casu probabilitatis notabiliter præponderantis: tunc Deus permittit talem actionem ut licitam, & hic & nunc irreprehensibilem; quamvis fortassis in se mala sit: quia homo fecit, quantum moraliter potuit, & elegit, quod prudenter judicavit esse bonum, licèt fortè judicio falso. atque ex his cadunt omnia, quæ habet DD. Perea num. 78. & sequentibus.

Sect. 10. conatur ostendere, principium illud: *in dubiis tutior pars est eligenda*, non impedire judicium reflexum benignum. refert autem se ad sectionem quintam, ubi id clarissimè ostenderit ex S. Thoma: & ad Sect. 6. ubi id ipsum manifestissimè ex Cajetano demonstraverit, clauditque numerum 88. his verbis: *lege obsecro iterum illum transcriptum sect. 6. & videbis ipsum & Navarrum hæc planè docere, & perperam im-*

impugnari à RR.P.Thyrso. Scilicet habet ex illis explicationibus, quod glorietur DD.Perea, ut vidimus: illo acumine si stet præsens expositio, scimus satis, qualis sit.

Postmodum num.89. axiomatis hujus explicationem affert ex D. Antonin. 1.par. cap.10. §.10. ubi ait, *eligere viam tutiorem consilii esse, non præcepti: alioquin oporteret multos ingredi religionem, in qua tutius vivitur, quàm in sæculo*. in quæ verba num.90. sic Perea: Audi Antiprobabilista, qui jactas te patronum habere Antoninum; hic dicit: *consilii est, non præcepti: Tu è converso dicis, non consilii est, sed præcepti: da ergo gloriam Deo, & confitere Antoninum non esse pro te, sed contrarium tibi in hoc puncto, imò in tota hac controversia*.

Sed quis non videt vel ex ipso exemplo, quo utitur S.Antonin. ipsum loqui de tutiori absolutè & secundùm se, & quando oppositum tutiori non redditur per rationes, vel auctoritates probabilius, vel æquè probabiliter illicitum, aut saltè meritò suspectum, an non sit illicitum? utique enim per hoc, quòd tutius sit religionem ingredi, non est probabile, sive magis sive æqualiter, aut ulla ratione suspectum, quod in sæculo vivere, illicitum sit? Nostra autem con-

controversia de eo tutiori est, cujus oppositum satis validè ostenditur illicitum, aut valde suspectum, an non tale sit: ergo hæc allegatio, quam facit DD. Perea, non est ad rem.

Illam porro insolentem suam insultationem, non nobis tantùm, sed etiam Eximio Doctori [quem suum nominare solet, & vult præ cæteris summa reverentia tractari] à se factam esse noverit. nam & hic Doctor nobiscum citat S. Antoninum pro sententia ad probabiliora obligante. En verba ejus in 1. 2. dis. 12. sect. 6. num. 5. *Secunda sententia est extremè contraria, semper esse præferendum id, quod probabilius est, minùs probabili.* ita Antonin. 2. par. tit. 5. cap. 10. §. 2. hac Suar. videt igitur DD. Perea, cui insultet, dum existimat, se nos solos criminari de immeritò allegato in nostram sententiam S. antonino. det ergo hanc gloriam Eximio suo Doctori, & confiteatur, graviori testimonio S. Antoninum in hac controversia esse pro nobis, quàm contrarium nobis.

Exinde num. 91. & 92. ait, legem, de qua æqualis utrinque sit probabilitas, non esse sufficienter promulgatam, & hominem ab ea excusari per ignorantiam invincibilem. Sed neque hoc urget. licèt enim hæc lex non sit sufficien-

cienter promulgata, de qua dubitatur, tamen alia lex est sufficienter promulgata, quæ dicit, *quòd homo non debeat se voluntariè committere periculo satis prævisо & ostenso, materialiter peccandi, aut quando non potest prudenter judicare, se versari circa rem licitam & honestam*. cùm igitur hoc fiat per æqualitatem probabilitatis, in ea tutius eligendum erit: neque poterit pro excusatione prætendi ignorantia: quia nemo ignorat, quòd debeat vitare periculum satis prævisum. neque suffragabitur possessio libertatis; quia non est homo in possessione ad agendum sine prudenti judicio honestatis.

Sect. 11. conatur Antiprobabilismum destruere, ex eo, quòd in dubiis circa materiam justitiæ possit quis retinere rem, quam possidet. Supponit autem primò, esse doctrinam certissimam; quòd homo, qui bona fide incipit possidere rem aliquam; quamvis postea superveniat dubium, an sit re ipsa aliena; possit in tali dubio insuperabili, sibi retinere rem illam, & ea uti, eamve licitè consumere ut propriam: est enim in hac materia notissimum principium illud: *in dubiis melior est conditio possidentis*. Supponit secundò, esse apud nos principium fundamentale Antiprobabilismi nostri, quòd quando quis dubitat, an sit

ſit lex divina prohibens aliquam operationem, quamvis facta diligentia non poſſit ſuperare tale dubium, ſed potiùs anceps omnino maneat in prædicto invincibili dubio; tenetur ad partem tutiorem ob reverentiam debitam legi divinæ, peccaturus illico, ſi oppoſitum faciat. Unde, inquit, ſi deſtruamus hoc principium, cum illo pariter corruet tota machina prętenſi Antiprobabiliſmi. his poſitis, evidenter ruere Antiprobabiliſmum, ſic [ut ait] demonſtrativè oſtendit. Qui eſt in dubio inſuperabili, an res, quam poſſidet, ſit aliena, eſt etiam in dubio eodem, an detur à parte rei lex vetans retentionem illius rei: ſed per Antiprobabiliſtas, qui eſt in dubio, an res quam poſſidet ſit aliena, licitè exercet retentionem illius: ergo in dubio, an detur lex vetans retentionem, licitè exercet retentionem. Minor admittitur ab omnibus, juxta primum ſuppoſitum. Major probatur. rem quam quis poſſidet, eiſe à parte rei alienam, perinde eſt, ac retentionem illius eſſe vetitam per legem divinam ſic pronuntiantem: *nihil alienum retineatur*, vel ſic, *non retineas rem alienam*; vel ſic, *mihi diſplicet retentio rei alienæ*: & hoc manifeſtiſſimum eſt, inquit Perea, ac infert: ergo qui dubitat, an res, quam poſſi-

possidet, sit aliena; dubitat, an retentio ejus sit vetita per legem illam pronuntiantem, *non retineas rem alienam*. ergo cùm secundùm omnes, etiam Antiprobabilistas, licitè possit talem rem retinere; constat, reverentiam legis in dubio non obligare ad omittendam actionem, de cujus prohibitione dubitatur: ergo evidenter corruit Antiprobabilismus.

Hoc argumentum nullius prorsus est momenti, utpote pugnans secum ipso, & crassa laborans ignorantia. pugnat secum: quia tanquam doctrinam certissimam supponit, & rectè supponit; quòd bonæ fidei possessor possit rem dubiam, ex dubio superveniente, retinere, donec sufficienter evincatur esse aliena; adeòque quòd pro hoc casu lex illa, *non retineas alienum*, hic & nunc non obliget: quomodo igitur potest esse periculum inhonorandi legem, si *certissimum* sit, illam hic & nunc non obligare? nondum videt DD. quòd casum, in quo ad reverentiam legis adstringunt Antiprobabilistæ, ne quidem attingat, & sic pugnet, quasi aërem verberans? Crassa etiam ignorantia laborat argumentum, in quantum vult, rem alienam semper, & sine exceptione trahere obligationem restitutionis; quod falsissimum est. nam po-

potest aliquis esse certus, quòd habeat rem alienam, & simul esse certus, quòd non teneatur, vel absolutè, vel hic & nunc restituere: ut si quis habeat gladium furiosi: aut non possit sine gravissimo damno famæ rem temporalem restituere, &c. sicut igitur non sequitur: *ego scio, quòd hìc & nunc habeam rem alienam: ergo scio, quòd hìc & nunc* debeam restituere: ita non sequitur: *ego dubito, an hìc & nunc habeam rem alienam: ergo dubito, an hìc & nunc eam licitè retineam*. quia potest dari titulus, vi cujus eam rectissimè retineam; qualis titulus, fatente Perea, secundùm certissimam omnium doctrinam, est bonæ fidei possessio: ubi autem est certissima licentia actionis, ibi non est periculum inhonorandi legem; utpote pro illo casu non obligantem, nec ad illum extensam: ergo ex casu proposito, in quo nullum est periculum irreverentiæ legis, utpote non existentis pro hoc casu, nihil prorsus probatur contra Antiprobabilismum.

Itaque in forma negatur major pulcherrimi argumenti; quòd scilicet, qui dubitat, an res sit aliena; hoc ipso etiam dubitet, an prohibeatur illam retinere, in casu bonæ possessionis; per quam scit, juxta certissimam omnium, etiam Pereæ, doctrinam, se illam licitè retinere.

&

& hanc majorem, *quòd sciens, se rem certissimò licitè retinere, tamen hoc ipso dubitet, an probibeatur retinere*, à nemine probari posse existimo; nisi fortè à solo DD. Perea; ad quem proinde illam remittimus, libenter id facturum, ad subvertendum tandem Antiprobabilismum.

Sect. 12. conatur solvere argumentum, quòd *in dubiis tutior pars est eligenda*. & confundit dubium cum assensu etiam probabilissimo, & maximè firmo. Unde facilè colligi potest, quàm bella sit solutio; ego, donec termini meliùs discernantur à Perea, eam non impugno, ne operam perdam.

Sect. 13. conatur solvere quædam alia argumenta RR. P. Generalis. quorum primum est; non posse honestè eligi opinionem, cui aliquis non possit prudenter assentiri: hoc autem reperiri in casu æqualis probabilitatis, vel notabiliter minoris probabilitatis: cùm imprudens sit, aut rejicere rationes majores, tanquam falsas, assumptis minoribus, tanquam veris; aut inter æquales rationes inæquale ferre judicium. Ad hoc dupliciter respondet DD. Primò, posse dari rationabilem causam, ut quis in tali casu se flectat ad judicandum id, quod minùs verisimile apparebat; v.g.
bo-

bonum ſpirituale, aut temporale proximi, aut aliquid ſimile. Sed hoc non eſt reſpondere ad argumentum, quod hæc omnia jam comprehendit; cùm dicat, ſi conſideratis diligenter omnibus circumſtantiis appareat æquè aut minùs probabiliter licitum: ſi ergo rationabilis cauſa, aut bonum proximi aliud exigat, non jam æquè aut minùs probabiliter eſt licitum; ſed vel certò, vel probabilius: ſicut quòd reconvaleſcens, ob periculum reincidentiæ, non teneatur die feſto adire templum ad audiendum ſacrum &c. Secundò reſpondet ex S. Th. 2.2. quæſt. 60. art. 4. ubi docet, dubia eſſe in meliorem partem interpretanda: adeòque poſſe in favorem inclinari judicium intellectus, etiamſi nulla pro illa parte præponderet ratio. verba S. Doct. hæc ſunt: dicendum, quòd poteſt contingere, quòd ille, qui in meliorem partem interpretatur, frequentius fallatur: ſed melius eſt, quòd aliquis frequenter fallatur habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quàm quòd rarius fallatur habens malam opinionem de aliquo bono; quia ex hoc fit injuria alicui: & hinc potiùs tendere debemus ad hoc, quòd hominem judicemus bonum, niſi manifeſta ratio in contrarium appareat. hic eſt aureus tex-

tus D. Thomæ; sed ne apex quidem illius favet DD. Perea. Quæro enim, an licitum sit, vel an probabile sit, licitum esse, malum de homine judicare, quando non habetur manifesta ratio de malitia? si licitum est: ergo licitum est, facere injuriam proximo: ait enim Sanctus Doctor ex tali judicio *injuriam fieri alicui*. Si non est licitum, neque probabile, quòd sit licitum? quomodo igitur ex hoc textu, nec de licentia, nec de probabilitate licentiæ loquente, òstendit DD. Perea, posse in concursu æqualis, vel minoris probabilitatis de licentia, hominem judicare & agere secundùm quam voluerit partem, etiam minùs probabilem? observet igitur DD. Perea, rationes probabiliores de malitia hominis esse purè speculativas; ex quibus non possit inferri licentia & judicium practicum: sicut ex rationibus, quòd probabiliùs hæc vel illa materia sit sufficiens ad Sacramentum, non hoc ipso inferri potest, licitum esse, in tali materia administrare Sacramentum: nam rationes, quæ pugnant pro valore, non hoc ipso pugnant pro licentia: quid ergo mirum, si in casu, in quo non adsunt rationes pugnantes pro licentia, non possit judicium formari de licentia, sed potiùs debeat formari contra-

tra illam? argumentum autem RR. P. Generalis procedit de casu, in quo sunt rationes de licito, & illicito; de quo proinde secundùm allegata & probata formandum erit judicium: quia si ad rationes non respiciatur, hoc ipso judicium non erit prudens, sed potiùs temerarium. Si verò ad rationes respiciatur, petit argumentum, an prudens sit judicium, si rationibus æqualibus tribuantur inæqualia, vel notabiliter præponderantibus tribuatur minus? ad hoc autem quid respondet DD. Perea? posse judicari contra licentiam, quando nulla adest ratio pro licentia, sive, posse judicari contra rationes speculativas probabiliores, quando habetur certitudo de illicito. hoc scilicet est rem acu tangere.

Secundum argumentum RR. P. Generalis, quod hic conatur dissolvere DD. est hoc: quando homo est dubius, an hæc actio sit bona, vel mala, & illam elicit, peccat juxta omnes: at supponimus, illum manere dubium circa licitum vel illicitum actionis; ergo peccat illam eliciendo. Respondet DD. distinguendo majorem: quando est dubius speculativè, nego. practicè, conc. maj. tunc autem practicè non est dubius, quando, licèt de ipsa materiali

honestate actionis secundùm se dubitet, minimè tamen timet, aut existimat se reprehensibilem esse: non autem timet in tali casu, nec existimat se reprehensibilem esse, *quia sequitur prudentes, aut quia non satis est ipsi applicata lex vetans*; tales autem non reprehensibiles, sed potiùs laudabiles sunt.

Ad hoc responsum confutandum, utar casu *minùs probabilis, & notabiliter probabilioris*, claritatis causa, ut nullitas responsi manifestiùs appareat; quo habito, idem judicium formandum erit de casu æqualis probabilitatis: nam juxta ipsos Adversarios est eadem de utroque ratio. pono autem (ut gratiam apud DD. Perea ineam) sententiam Antiprobabilistarum esse notabiliter minùs probabilem sententia Probabilistarum. jam sic: qui sequitur prudentes; quamvis notabiliter minùs probabiliter dicentes, non est reprehensibilis, sed potiùs laudabilis: sed qui obligat homines ad sectanda in praxi probabiliora, sequitur prudentes, quamvis notabiliter minùs probabiliter dicentes: ergo si DD. Perea obliget homines ad sectandam in praxi doctrinam Antiprobabilistarum, non erit reprehensibilis, sed potiùs laudabilis: atqui DD. Perea sect. 20. num. 205. dicit, sententiam Antipro-

tiprobabilistarum *in praxi esse valde periculosum*; ergo si DD. Perea in praxi sequatur, & obliget alios ad sequendam, *in praxi valde periculosam sententiam*, non erit reprehensibilis, sed potiùs laudabilis. Non placet hic modus discurrendi, desumptus ex principio reflexo tantopere appretiato à Probabilistis? quare non? quia DD. Perea est dubius de sententia Antiprobabilistarum obligante, utpote notabiliter minùs probabili. Sed quid hoc obstat; macte animis DD. confidenter age, es dubius speculativè, sed habens reflexionem, cujus beneficio non sis dubius practicè. itaque sectare laudem tuæ sententiæ, & elige securus minùs probabile, hoc est, obliga te, & alios ad sententiam Antiprobabilistarum, & ad doctrinam, in praxi valde periculosam. Quòdsi existimas, cum tali dubio speculativo, necessariò etiam conjunctum esse dubium practicum; scias velim, hoc ipsum esse, quod nervosissimè probat argumentum RR. P. Generalis, cui imperceptibile est, posse hominem sibi persuadere, se irreprehensibilem esse in casu, in quo sequitur illos, quos ex rationibus notabiliter præponderantibus, judicat errare & suadere, quod minimè suadendum esset: aut posse ibi prætendere insufficientiam

applicationis, ubi pars una tam clarè ostenditur, ut altera prudenter non possit recipi per assensum directum &c.

Sect. 14. conatur ostendere, quòd ex reverentia legi debita, ex qua Antiprobabilistæ volunt abstinendum esse à contractu v. g. de quo dubitatur, an licitus sit: quod, inquam, ex hac ipsa reverentia inferri possit, contractum esse licitum, & ineundum. argumentatur sic: Ego reflectens supra casum dubii de contractu, non debeo ex præcepto præsumere illum contractum mihi esse illicitum: ergo nec illicitus est in eo casu; quia quod non teneor habere pro illicito, possum habere pro licito. antec. probatur: quando una præsumptio est æquè periculosa, ac alia, seu æquè alterativa legis Divinæ directæ existentis in Deo, non potiùs teneor ad unam præsumptionem, quàm ad aliam: sed præsumptio de eo, quòd contractus sit tunc illicitus, est æquè periculosa, & alterativa legis Divinæ directæ existentis in Deo circa contractum illum: nam cùm dubius sim, an lex Divina directa re ipsa prohibeat, vel non prohibeat contractum: ego per primam præsumptionem rigidam, & per secundam benignam me expono æquali periculo, nempe alterandi legem Divinam directam, & per se; nempe vel facien-

ciendo illicitum contractum, qui mihi secundùm Divinam legem per se erat licitus; vel è converso faciendo licitum eum, qui juxta legem Dei per se erat illicitus: quorum utrumque est alterare legem Divinam directam, & per se: ergo ego reflectens supra illum casum dubii de contractu, non debeo potiùs præsumere illum contractum esse illicicitum; atque adeò licitè possum præsumere oppositum, & consequenter absque peccato contrahere. ita DD. Perea, pro clausula addens: *hoc sanè argumento convincor*.

Transferamus convincens hoc argumentum, in dubium de valore Sacramenti, & dicamus sic: in dubio de valore Sacramenti, non debeo ex præcepto præsumere, Sacramentum esse invalidum: nam hæc præsumptio esset æquè periculosa alterandi [hoc est, aliter concipiendi, quam in re sit] cognitionem Divinam directam, quam Deus habet de valore, vel non valore Sacramenti; ac esset præsumptio, qua præsumerem Sacramentum esse validum: ergo non debeo ex præcepto potiùs præsumere, fieri irreverentiam Sacramento, si in tali materia administretur; quàm possim præsumere, nullam fieri irreverentiam: atqui licitum est administrare

Sacramentum in materia, ubi nulla præsumi potest irreverentia : nam solum periculum irreverentiæ hactenus præstitit talem administrationem illicitam, juxta omnes: ergo in materia dubia poterit DD. Perea administrare Sacramentum: atqui hæc propositio damnata est: ergo vi sui argumenti, quo dicit se sanè convinci, poterit DD. Perea licitè ac laudabiliter facere, quæ sunt prohibita ab Ecclesia. Videt, credo, DD. quali argumento fateatur se convictum: quali scilicet nemo alius ex orthodoxis unquam fatebitur, aut fateri possit, se convinci, aut leviter moveri.

Unde hic error DD. processit? quia confundit periculum irreverentiæ cum periculo alterandi [hoc est, aliter concipiendi, quàm fortè in mente Dei sit] legem Divinam: quæ duo sunt diversissima. nam periculum alterandi nullam affert irreverentiam: aliàs nemo citra irreverentiam posset se excitare ad spem gloriæ cælestis: fortè enim de eo non gloria cælestis, sed pœna æterna existit in mente Dei. periculum verò faciendi actum, fortè à lege Divina prohibitum, affert irreverentiam: quia materiales transgressiones non vitare, quando moraliter vitari possunt, est quasi quidam materialis contemptus legis: vel fateri

debe-

debebit DD. Perea non esse irreverentiam erga Sacramenta, si passim exponantur periculo invalidationis. posse autem in nostro casu materiales transgressiones evitari, clarum est. qui enim dubitat, an hic & nunc detur lex jejunii, potest jejunare, & sic evitabit omne periculum: nam in jejunio non est periculum transgrediendi legem jejunii, sive detur, sive non detur.

Sect. 15. quærit, an argumento ex obedientia desumpto satisfaciant Antiprobabilistæ; & sect. 16. ac 17. illorum responsiones impugnat.

Ego non capio, quomodo possint nobis Adversarii opponere, quòd obedientiam destruamus. vel enim est probabilius, quòd subditus in casu rei dubiæ teneatur obedire, vel est minùs probabile, ita ut oppositum sit probabilius? si probabilius est, quòd teneatur obedire: ergo nostra sententia obligat ad obediendum; quia nos obligamus ad probabiliora. Si autem est minùs probabile, quòd teneatur obedire, ita ut oppositum sit probabilius: ergo non obedire erit consilii, quamvis non sit præcepti. admittunt enim Adversarii, & expresse DD. Perea num. 90. sententiam nostram esse consilii: atqui non solvit legem, qui adstruit consilium: ergo.

 Oc-

Occasionem hujus tam insuspicabilis impugnationis dedit, quòd requiramus, ut judicetur re ipsa esse honestum, quod agendum est: hoc autem fieri non posse, si rationes pro inhonestate notabiliter præponderent, aut sint æquales: ergo in casu, quòd superior rem aliquam ex rationibus notabiliter minoribus, aut æqualibus præcipiat, obedire non poterimus.

Hoc argumentum procedit ex falso supposito: quòd nimirum requiramus, ut judicium de honestate rei solùm feratur ex rationibus intrinsecis, & sumptis ex ipsius rei principiis; non verò etiam ex rationibus extrinsecis, quæ sumuntur ex circumstantiis, rem hic & nunc afficientibus, quod non ita est: dicimus enim, hominem non posse licitè facere, nisi quod perpensis diligenter omnibus, prudenter potest judicare honestum ac licitum, prout substat præsentibus circumstantiis: atqui inter circumstantias in præsenti casu obedientiæ, est etiam voluntas superioris; cui circumstantiæ plurimum tribuitur, juxta illud Christi: *qui vos audit, me audit*; & juxta alia principia ascetica: ergo per hanc circumstantiam plurimum momenti accedit, ut res, prout hic & nunc facienda est, ut substans huic circumstantiæ, judicetur

cetur longè probabilius honesta, quàm inhonesta: quamvis si solùm considerarentur rationes ejus propriæ, talis non judicaretur. Sicut si contractum venditionis, in quo supra justum plusquàm dimidium exigitur, secundùm se consideremus, injustum illum reputabimus: sed si consideretur cum hac circumstantia, quòd Petrus aliter non obtineat à Paulo rem suam injustè ab eo detentam, censebitur contractus hic & nunc justus, propter licitam compensationem: sic se habet res in nostro casu: nihil ergo prorsus ex nostra sententia periculi accersitur obedientiæ.

Libenter verò viderem, quomodo eam Adversarii non eliminent ex claustris; dum docent, licitum esse sequi opinionem minùs probabilem: & esse opinionem talem, quæ dicat, in casu dubii licitum esse non obedire. vel igitur fateri coguntur, aut non esse licitum sequi minùs probabilia, hoc est, suam sententiam, qua hanc thesin propugnant: aut licitum esse non obedire in casu frequentissimo, adeòque valde raram esse obedientiæ obligationem: vel inter se altercari debebunt, an Auctores ipsorum [quos bene scit DD. Perea, ut non sit necesse, eos à me nominari] probabiliter dixerint, esse opinionem

probabilem, quæ doceat, in casibus dubii de honestate rei præceptæ, licitum esse non obedire. ex qua altercatione, si nihil aliud, saltèm id commodi nobis accedet, quòd interim à calumniosis oppugnationibus, quibus in his sectionibus valde excessit DD. Perea, simus futuri immunes.

Sect. 18. proponit communem rationem, qua solet opinio nimis benigna probari. nempe quòd operans prudenter, non peccet: & operetur prudenter, sequens opinionem probabilem; ergo.

In hac ratione refellenda, insigniter falli ait RR. P. Thyrsum, dum docet, in casu quo una pars alicui est notabiliter probabilior, partem oppositam eidem non esse probabilem. quasi verò contrarium non manifestè constaret ab experimento; cùm videamus sapientissimos suam pronuntiare sententiam, dicendo simul, oppositam esse probabilem; imò ut hoc dicant, quando ita ipsis apparet, moneri Jesuitas in libro de ratione studiorum: esse igitur hoc dogma RR. Generalis novum omnino, & contra se, & omnem suam Societatem, imò & contra omnes omnino Theologos. atque futurum aliàs, ut quandocumque aliquis in moralibus subscribit suæ opinioni, diceret omnes oppositas esse sibi impro-

improbabiles: quod esset valde temerarium, & injuriosum.

Hæc, & plura alia, quæ congerit DD.Perea, non tangunt doctrinam, RR. P. Generalis, & præcisè ex eo oriuntur, quòd impugnans, soliditatem & constantiam tanti viri in docendo, non assequatur. RR.P.Generalis, respiciens ad statum præsentis controversiæ, qui est, an & quando *ex conscientia probabili ac opinativa* operari possimus, docet, illi, qui unam partem ob rationes notabiliter excedentes recipit, eamque assensu firmo probat, ac opinatur; ei partem oppositam, stante hoc assensu non esse probabilem; *in ordine scilicet ad agendum secundùm illam ex conscientia probabili, seu opinativa*. & hoc, apprehensis terminis, evidens est. quia opposita simul opinari nō possumus: Si ergo partem notabiliter verosimiliorem aliquis opinetur, non poterit simul, stante hoc opinandi actu, opinari oppositum: qui autē non opinatur oppositum, non potest illud, dum non opinatur, ex conscientia opinativa seu probabili operari: quomodo enim operabitur ex conscientia tali, si conscientiam talem non habeat? ergo evidens est, quòd illi, qui partem verosimiliorem recipit, & opinatur, non possit, stante hoc assensu opinativo, pars op-

posita esse probabilis, *in ordine ad agendum hic & nunc ex conscientia probabili seu opinativa*: ergo non tantùm non contra suam Societatem, & omnes Theologos; sed purissimam, & à nemine negabilem veritatem dicit RR. P. Thyrsus, dum ait, recipienti partem verosimiliorem, oppositam non esse probabilem: neque ipse in hoc insigniter fallitur; sed DD. Perea non attendit ea quæ dicuntur, ad subjectam materiam, hoc est, ad statum quæstionis dici, ut mos est doctorum virorum.

Atque sic, si totum demus DD. quod vult, quid habebit, ad præsentem controversiam, de licentia operandi ex conscientia probabili, pertinens? Sit, quòd opinanti hanc partem, probabilis maneat opposita: num vi hujus probabilitatis manentis, poterit, stante opinione de altera parte, *ex conscientia probabili*, de qua hic loquimur, operari partem oppositam? certè non; quia sic deberet partem hanc opinari; quòd fieri non potest, stante opinione de altera parte: ergo, si operari possit partem oppositam in his circumstantiis, solùm poterit illam operari ex conscientia certa, aut evidenti: de hac autem conscientia in præsenti non quæritur: ergo concesso toto, quod vult DD. Perea,

rea, nihil agit laboriosissimus luctator, quod ad præsentem controversiam pertineat.

An vero ex solo judicio probabilitatis, conjuncto cum judicio alterius partis, quod dicat, hanc probabilitatem fucum esse, & præter apparentiam habere nihil, prudenter aliquis, & inculpabiliter operari possit, huc non pertinet examinare. Satis est, ostendisse, eo dato, nihil haberi, ad præsens pertinens; adeòque doctrinam RR. P. Generalis, præsenti quæstioni accommodatam, stare inconcussam, & DD. omnino extra orbem misisse suam sagittam.

Est & alius sensus, in quo accipi potest hoc dictum, *quòd opinanti partem notabiliter præponderantem, pars opposita non sit probabilis*: hoc est, quòd prudenter illam approbare, & assensu opinativo, firmo ac minimè fluctuante, recipere non possit. & hic sensus etiam intenditur à RR. P. Generali. & quamvis non sit tàm certus, quàm prior, qui omnino est evidens; tamen est valde rationabilis: cùm planè contra rationem esse videatur, firmiter affirmare id, pro quo affirmando sunt rationes notabiliter infirmiores, & negare id [quod necessariò ad priorem affirmationem consequitur, cùm ex oppositis non possit simul

affirmari utrumque] pro quo affirmando sunt rationes notabiliter firmiores : hoc enim non tam rationis, quàm nimiæ libertatis videtur esse.

Restare potest tertius sensus, ut dicere, *opinanti partem notabiliter præponderantem, oppositam non esse probabilem*, idem sit, ac dicere, partem oppositam omnino enervari, ejus rationes prorsus evanescere, ac nullam ingeniosæ inventionis æstimationem retinere. Et hunc sensum nec RR. P. Generalis, nec alii Antiprobabilistæ intendunt.

Itaque potest *probabile* dividi in *probabile simpliciter*, & in *probabile secundùm quid*: illud est, quod habet tantam apparentiam, quanta solet sufficere ad assensum, absolutè dictum, & simplicem, quamvis non sufficiat ad assensum refutativum alterius partis. probabile simpliciter est, quod sufficit ad assensum, etiam refutativum alterius partis, & tale probabile est illud, quod habet rationes notabiliter præponderantes. & istud probabile ulterius dividi potest, in probabile in actu exercito, sive in actu secundo: & in probabile in actu signato, sive in actu primo. *probabile simpliciter*, in actu exercito est, quod actu opinamur præ altero. in

actu signato: quod prudenter possumus opinari præ altero. Quando igitur dicitur, opinanti partem notabiliter præponderantem, non esse probabilem partem oppositam, non excluditur, quòd non sit probabilis secundum quid; sed quòd non sit probabilis simpliciter: idque tam in actu exercito: quod evidens est, cùm non possint stare oppositi assensus: quàm in actu signato: quod valde rationabile est: cùm non videatur, prudenter posse hominem opinari id, quod habet rationes notabiliter infirmiores, contra id, quod habet rationes notabiliter firmiores.

Et quæ in comparatione notabiliter præponderantium rationum ad rationes notabiliter inferiores dicta sunt, proportionaliter intelligi debent de concursu rationum æqualium. nam in sensu explicato, neutræ probabiles sunt simpliciter; cùm non sufficiant ad assensum victoriosum & refutativum: quamvis sint probabiles secundùm quid, hoc est, satis magnæ, & sufficientes ad assensum absolutum ac simplicem. Ex quo etiam patet, per hoc, quòd opposita pars dicatur non esse probabilis in nostro casu, non dici, rationes pro illa non esse magnas, aut graves absolutè, & secundùm se: quia possunt utrinque

val-

valde graves rationes concurrere, quæ propter æqualitatem tamen non erunt probabiles in sensu explicato, licèt gravitatem habeant notabilem. est ergo sensus, non esse probabiles, hoc est, non esse graves ad prævalendum, quamvis simpliciter graves sint. Per hac patet etiam responsio ad impugnationem, quæ sect. 19. proponitur, & laborat eadem ignorantia.

Sect. 20. proponit argumentum reflexum, quod fieri solet pro opinione, ut vocant, benigna. & est hoc: per Antiprobabilistas licitum est sequi opinionem probabiliorem, saltem his, quibus probabilior videtur: sed nobis post diligens examen videtur probabilius, contractum in casu opinionis illum probabiliter excusantis, esse practicè licitum; ergo debent Antiprobabilistæ fateri, nobis, Probabilistis, licitum esse.

Hoc argumentum reflexum, quo maximè triumphant Probabilistæ, maximè pugnat contra illos, & omnem eis modum eripit, nos impugnandi. contra illos quidem pugnat; quia si licitum sumatur Antiprobabilisticum, quod est conjunctum cum obligatione, & quod sumi debet, si volunt propositionem primam ab Antiprobabilistis sumere; tunc tale erit ipsorum argumentum: per

An-

Antiprobabilistas *licitum est*, & debitum, in casu legis violandæ, sequi opinionem probabiliorem, saltèm his, quibus probabilior videtur: sed Probabilistis post diligens examen videtur probabilius, contractum in casu opinionis illum probabiliter excusantis, esse practicè licitum; ergo Antiprobabilistæ fateri debent, Probabilistis hoc, quod est probabilius, *esse licitum*, & debitum; idest, *debere illos sequi probabiliora*: atqui hoc libenter fatentur Antiprobabilistæ: pro hoc enim unicè pugnant: & hoc nullo modo fateri volunt Probabilistæ: nam esse contra omnes totius hujus ac prioris sæculi Theologos, & afferre onus intolerabile, inventionemque ac propaginem esse Jansenisticam, usque ad raucedinem, maximè per DD. Peream, clamant: ergo hoc argumentum, si in forma positum est, & non habet quatuor terminos [quod DD. Perea recognoscendum relinquo, ubi sua dictata philosophica pro typo reviderit] maximè pugnat contra Probabilistas, illosque ad nostras partes, dum minimè volunt, compellit.

Quòd verò omnem eis modum, nos impugnandi, eripiat, non minùs clarum est, si enim, quod impugnando maximè contendunt, licitum est sequi minùs pro-

probabilia: cùm nostra sententia sit minùs probabilis, secundum ipsos, ut fiet per argumentum istud reflexum, in hos terminos translatum, ut nostram sententiam quilibet licitè ac laudabiliter sequatur: ergo Probabilistæ vel esse debebunt impugnatores eorum, quæ laudabiliter fiunt: vel per eorum argumentum reflexum omnis eis modus, nos impugnandi eripitur.

Directam responsionem ad hoc argumentum non addo; cùm accommodatum satis sit ad rigorem Scholasticum, reflexum reflexo solvere. Si quis tamen aliud exigat, videre poterit in Opusculo meo objectionem quartam.

Addit DD. Perea num. 205. sententiam nostram valde periculosam esse in praxi, propter hoc, quòd respuat omnem reflexionem supra statum opinionis speculativæ utrinque probabilis: sic enim non posse operantem esse certum de honestate suæ actionis; adeòque semper se exponere periculo formalis peccati, & per consequens peccare. verba illius num. 206. hæc sunt. judicium opinativum probabilius de eo quòd contractus non sit usurarius, & peccaminosus, non facit intellectum certum de eo quod non sit usurarius, & peccaminosus in se, & hic, & nunc: sed efficere id,

id, de quo incertum mihi est, seu certum non est, an sit peccatum, jam est peccare; ergo. Majorem probat: quia stultus foret, qui diceret: ego probabilius affirmo contractum in se habere talia intrinseca prædicata; ergo sum certus de ea veritate: affirmaret enim judicium opinativum, & indifferens ad ũeritatem & falsitatem, non esse opinativum, & indifferens ad falsitatem, sed determinatum ad veritatem.

Cùm adeò amet reflexiones DD. Perea, miror, quòd non etiam fecerit aliquam de hoc, quòd argumentum suum, si quid probet, eodem modo probet, periculosum in praxi esse, sequi opinionem probabilissimam: sicut enim judicium opinativum probabilius non facit certum de veritate rei; sic neque judicium opinativum probabilissimum: stultus enim foret qui diceret: ego probabilissimè affirmo contractum habere talia prædicata intrinseca; ergo sum certus de rei veritate: certitudine nimirum strictè dicta, de qua loquitur DD. sic enim affirmaret, judicium opinativum, & indifferens ad veritatem vel falsitatem, non esse opinativum, nec indifferens. ergo juxta argumentum DD. Perea, periculosum in praxi erit, sequi opinionem probabilissimam; ergo juxta

DD.

DD. Perea Summus Pontifex præſcripſit nobis doctrinam, in praxi valde periculoſam. parcius iſta DD.

Præterea, non vides, quòd tuum argumentum perinde premat tuum judicium reflexum? nam ponamus opinionem affirmantem inhoneſtatem actionis, eſſe notabiliter probabiliorem, & oppoſitam eſſe notabiliter minùs probabilem. jam tu te reflectes in hanc opinionem notabiliter minùs probabilem, diceſque, eſſe opinionem minùs probabilem, te hic & nunc non peccare: num igitur ex hoc certus eris, te hic & nunc non peccare? nunquid cum ſtulto diceres: *ego video reflexè* [per judicium nempe illud, quo in opinionem minus probabiliter excuſantem, oculum mentis retorques] *minùs probabile eſſe, quòd hic & nunc non peccem: ergo certus ſum de rei veritate, quòd hic & nunc non peccem, & ſim coram Deo excuſatus?* nunquid ſic ex judicio opinativo excuſante, ut reflexè cognito, & propterea, quia opinativum eſt, indifferente ad veritatem vel falſitatem, inferres certitudinem veritatis, hoc eſt, diceres, certam eſſe tuam irreprehenſibilitatem, quia reflexè cognoſceres eam eſſe incertam: ut igitur certa tibi fiat tua irreprehenſibilitas, debebis ſupra aliud, quàm ſupra minùs, vel

æqua-

æqualiter probabilem opinionem Doctorum te reflectere. Denique nullo modo verum est, quòd nos omnem reflexionem, supra probabilem opinionẽ respuamus: cujus contrarium jam supra ex disertissimis verbis RR.P.Generalis ostendimus: sed solùm negamus, illam reflexionem posse operanti servire ad excusationem coram Deo, quæ fit in opinionem, quam aliquis judicat fallere, aut nõ potest prudenter judicare, non malè dirigere: quàm enim hoc ridiculum: *ego me reflectebam, quòd iste Doctor probabilius falleretur, & me falleret: ergo certum est, me esse irreprehensibilem, quòd eum sim secutus!* nos verò facilè concludimus nostram irreprehensibilitatem, hoc modo: secutus sum eum, quem re bene considerata vidi probabiliora suadentem: ergo cùm majorem notitiam hic & nunc comparare mihi moraliter non potuerim, sum hic & nunc irreprehensibilis. ecce quanta distantia nostræ reflexionis à reflexione Probabilistarum: quàm, conveniens nostra lumini naturali; quàm verò eidem adversa DD.Perea!

Sect.21. impugnat Patrem Muniessa, quòd dicat, licitum hoc ipso esse homini contractum facere, quòd prudenter judicet, illum sibi esse licitum. affert autem ad hoc refellendum exempla de

va-

valore, ex quo licèt prudenter judicato, non hoc ipso licitè proceditur ad operandum. verba ejus sunt: Parochus ex motivo sibi probabiliori, adeòque prudenter, judicat valere Baptismum *in nomine Genitoris*, vel sub alia forma, aut materia sibi probabilius valida; & tamen illud judicium vincens prudenter formidinem de opposito, non sufficit, ut baptizet sub illa forma. hoc ipsum patet etiam in Medico, qui probabilius, prudenterque judicat, hoc remedium profuturum, & licèt prudenter vincat formidinem contra hunc assensum; tamen imprudens esset applicando illud remedium relicto certo. ita DD. nihil contra Muniessam, qui non dicit, à judicio *valoris*, sed à judicio *licentiæ* rectè procedi ad licentiam. quàm ignava igitur est hæc impugnatio!

Sect.22. circa eandem rem impugnat RR. P.Generalem, & affert num.222. eadem exempla: unde eandem æstimationem meretur hæc oppugnatio, quam prior. Contendit etiam, non posse formari judicium practicum certum, & absque formidine peccati, ex rationibus merè probabilioribus, nisi beneficio judicij reflexi. Si loquitur DD. Perea de judicio certo circa materialem honestatem, verum est, id non posse formari

mari ex rationibus merè probabilibus: & hoc ne quidem beneficio judicii reflexi, quod juxta ipsum etiam DD. non materialem, sed formalem honestatem adstruit. Si verò loquitur de judicio practico circa formalem honestatem, sive circa irreprehensibilitatem, negamus, illud non posse haberi immediatè ex rationibus probabilioribus, & dicimus, ex hac: *diligenter consideratis omnibus, hoc est probabilius honestum*, posse statim, directè, ac sine ulla extrinseca reflexione, inferri hanc: *ergo ego hic & nunc hoc faciens sum irreprehensibilis*; quæ est dictamen directum, ex præmissa convenienti diligentia comparatum, & in actu exercito certificans de se ipso: quæ certificatio signate, & expresè probatur per hoc principium morale: qui facit, quod perpensis diligenter omnibus, probabilius invenit licitum, laudabiliter agit: sed ego hoc facio; ergo laudabiliter id facio; quo principio non tribuitur certitudo, sed dari, & dictamini directo inesse ostenditur: ergo certitudo dictaminis habetur sine judicio illo Adversariorum extrinsecè reflexo. Si autem hanc ipsam probationem velint vocare dictamen reflexum, non obsistimus: satis enim nobis est, nos certitudinem habere, sive dein directa sit, sive refle-

reflexa: cùm Adversarii nec directam habeant, ut fatentur, nec reflexam: quomodo enim, quando vident, consideratis diligenter omnibus, minùs probabiliter honestum, & probabilius esse inhonestum, quod faciunt, poterunt facere reflexionem, se certò irreprehensibiliter agere, hoc est, esse laudabiles, dum vel rationes, vel Doctores, quos judicant falli, & fallere, sequuntur?

Sect. 23. conatur solvere quasdam objectiunculas mediocres, & solvit illas mediocriter, mixtis hinc inde suis erroribus; quos non amplius referimus: neque putamus, ex aliquali ad minora responsione multum accedere illi, qui ad fundamenta principalia dicere solidi nil possit.

Sect. 24. ponit, opinionem benignam ex praxi Summorum Pontificum apprimè confirmari. Illi enim, inquit, dispensarunt in voto solemni castitatis; item in matrimonio rato: quamvis aut æque probabile, aut probabilius sit, ipsos dispensare non posse. Respondeo, per hoc argumentum valde sibi præjudicare DD. Perea, & nostram sententiam potius stabilire, quàm labefactare, non enim dicet DD. Perea, Summos Pontifices, quando aliquid faciunt, præsertim in rebus gravissimis, nihil

nihil curare de veritate, an res, quam faciunt, re ipsa honesta sit, vel non? ergo admittere debet, Summos Pontifices in prædictis casibus judicasse, se re ipsa & verè habere potestatem dispensandi; atqui non potuerunt hoc prudenter judicare, secundùm DD. Perea, si non fuit ipsis probabilius, se illam potestatem habere: ergo si dispensarunt, judicantes prudenter, se id probabilius facere posse re ipsa, processerunt in illis dispensationibus secundùm probabiliora, non secundùm minùs aut æqualiter probabilia, adeòque secundùm nostram, non secundùm DD. sensentiam. Minor, quòd secundùm DD. Perea, non potuerint sic prudenter judicare, si non fuit ipsis probabilius, sumitur ex ipso DD. Perea, qui sect. 13. num. 127. sic ait: *concedimus, intellectum nec physicè, nec moraliter, hoc est prudenter, posse assentiri parti æquè, aut minùs probabili: & consequenter non posse assentiri uni ex dictis opinionibus speculativis de licito, vel illicito contractus secundùm se*: dicamus pro casu præsenti dispensationis secundùm se: ergo Summi Pontifices in his dispensationibus ex nostra sententia, hoc est, ex probabiliori sibi honestate materiali processerunt: ergo DD. Perea, si probat, pro nobis probat, & contra se.

De-

Deinde transit iterum DD. Perea de dubio valoris ad dubium de licentia. utrum enim Pontifex dispensare possit, ad quæstionem de valore pertinet: ex majori verò probabilitate de valore, non statim rectè proceditur ad licentiam; quia quod est probabilius validum, potest esse minùs probabiliter, aut ne probabiter quidem, licitum: sicut patet de baptismo, qui (etiam posito, quòd sit in aqua rosacea, vel tenui cerevisia probabiliùs validus) extra casum necessitatis ne quidem est probabiliter licitus. & sic è converso accidere potest, ut quod est æqualiter probabile quoad valorem, sit ob circumstantias urgentes probabilius, vel certius quoad licentiam; v.g. in baptismo; nam posito (non affirmo) quòd sit æqualis probabilitas de valore aquæ rosaceæ, potest quoad licentiam in casu necessitatis major esse probabilitas. dixi: *posito quod sit æqualis probabilitas de valore*: ne quis mihi opponeret propositionem Innocent. XI. loquentem de *probabili* & *probabiliore* respectu valoris: & quidem extra casum necessitatis, contra sic extendentes. Jam igitur, cùm dispensationes in rebus tam gravibus, non nisi ex gravissima & urgentissima necessitate peti, aut dari soleant, bene potest ex talium

cir-

circumstantiarum consideratione probabilior esse licentia, licèt validitas sit utrinque æquè probabilis: non ergo per has dispensationes probat DD. Perea, Summos Pontifices secutos esse in praxi sententiam minùs probabilem *de licentia*.

Quapropter sic argumentor. vel dicit DD. Perea, quòd in casu illarum dispensationum, specialiter in matrimonio, fuerit major probabilitas de valore, vel æqualis, vel minor? si major, habebitur eo ipso major probabilitas, imo & certitudo de licentia, pro casu necessitatis: ut patet de baptismo, quem non facilè aliquis negaverit, licitè & etiam obligatoriè conferri in materia probabiliùs valida, ubi casus necessitatis id exegerit. Si verò probabilitas de valore fuerit æqualis; tunc vel dicit DD. Perea, quòd fuerit conjuncta cum probabilitate licentiæ, vel non? si non: ergo dicit Summos Pontifices contra vota solemnia, & matrimonia id fecisse, quod erat omnino illicitum. Si verò dicit, illam valoris probabilitatem fuisse conjunctam cum probabilitate licentiæ: facilè nos ostendemus, hanc probabilitatem fuisse non quamcunque, sed majorem probabilitatem. quod enim ex gravissimis causis fit licitum, non sim-

ſimpliciter, ſed probabilius ſit licitũ: ſed tales diſpenſationes, quæ ponuntur factæ licitæ, ex graviſſimis cauſis tales factæ ſunt: aliter enim ne quidem petuntur; & ſi peterentur, nunquam tamen darentur: ergo factæ ſunt probabiliùs licitæ: ergo Summi Pontifices in illis diſpenſationibus non contra, ſed juxta noſtram doctrinam, hoc eſt, ſecundùm probabilius de licentia, proceſſerunt: ergo RR. P. Generalis, quando diſſertat. 14. num. 44. dicit, illas diſpenſationes ab illis Summis Pontificibus fuiſſe habitas pro probabilius licitis, non falsò, & purè divinando, prout Perea num. 238. calumniatur, ſed pro ſumma ſua in Sedem Apoſtolicam reverentia, & ſingulari acumine ingenii, ac eruditione dixit. Quoòdſi denique dicat DD. probabilitatem de valore illarum diſpenſationum, fuiſſe minorem: ergo dum pro ſe allegat factum & praxes Pontificum, ait, illos Summos Pontifices practicaſſe res ab Eccleſia damnatas. Probo. Innocentius XI. damnavit hanc propoſitionem: *non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi probabilem de valore Sacramenti relicta probabiliore*: atqui illi Pontifices, ſi fuit in illis diſpenſationibus minor probabilitas va-

loris,

loris, practicarunt tanquam non illicitum, in Sacramentis conferendis [administrando nempe alio matrimonio] sequi probabilem de valore Sacramenti, relicta probabiliore: nempe de permanentia impedimenti invalidantis: ergo secundùm Peream Summi Pontifices, dum eos ait sibi favere, practicarunt res, ab Ecclesia damnatas. quo quid posset esse intolerabilius? quàm videlicet ita discurrere, ut dicas, Summos Pontifices, eosque Sanctissimos, ac summè pios [quales sunt, quos pro dispensatione matrimonii rati nominat inter alios num. 235. Perea, Paulus III. Gregorius III. Pius IV. & Pius V.] fuisse ab Ecclesia damnatos?

Hæc sanè indignitas Perea, ita me commovet, ut librum tuum post januam abjiciam. quare ab ulteriori refutatione abstineo, nec progredior ad Animadversiones, quas à pag. 161. usque ad pag. 248. in gravissimos viros ac Magistros, Gonetum, Muniessam, Fagnanum, Palancum, RR. meum P. Generalem Thyrsum, per distinctas Sectiones, non minùs impudenter, quàm indoctè facis. Quas licèt illi religiosè tibi condonent: hanc tamen, quòd tam imperitè disputes,

tes, ut Summos Pontifices, ac sanctissimos, doctissimosque anathemati subjicias; meritò Sanctissimæ Sedi Apostolicæ vindicandam, animadvertendamque relinquunt.

A. M. D. G.

